

150

POLONIA PACIFICA


Inter Augustas Nuptias
SERENISSIMORVM
VLADISLAI IV.
POLONIÆ ET SVECIAE
REGIS INVICTISSIMI.

ET
**LUDOVICÆ
MARIÆ**
PRINCIPIS MANTVÆ, ET MON-
TISFERATI, DVCIS DE NIVERS
ET RHETEL.

PANEGYRICE CELEBRATA
Agz
EISDEM SERENISSIMIS MAIESTATIBVS
AB
Alma Academia & Vniuersitate Vilnensi Societatis IESV
Ex Publico lœtitiæ voto
OBLATÆ.

Anno Salutis, M. DC. XLVI.
VILNÆ, Typis Academicis Societatis JESV.

Auctor P. Casimirus Horatowicz S. J.



Quicunq; vincit, & parcit, omnium sē sc hominum Imperatorem agnoscit.

Themist. Orat. 12. ad Valent. Imperat.

Quodsi Regum atq; Imperatorum animi virtus, in pace ita vt in bello valeret, æquabilius atq; constantius sese res humanæ haberent, neque aliud alio ferri, neq; mutari ac misceri omnia cerneret. *Salust.*



95329

159

SERENISSIMIS
VLADISLAO QVARTO
ET
LVDOVICÆ MARIAE
REGIBVS ac DOMINIS

Publica pace, tanquam publica munitæ si-
de, ad auctos noua siderum Vestrorum-
luce Pacificæ Poloniæ radios, venerabun-
dæ accedunt, acciduntq; literæ, **REGES**
SERENISSIMI. Quanquam enim nemo
de Vobis non securè gaudet, plurimum tamen
ad solidum lætitiae decus refert, num eadem
singulis, quæ omnibus gaudendi fit de Princi-
pibus causa. Voces priuatis addictæ auribus,
priuatæ seruitutis necessitati addicuntur : fin-
gularia & a communi plausu secreta gaudia, dù
sola gaudendi jus vendicant, materiam gaudij
cæteris superesse negant. Rerum pondus, &
meritorum magnitudinem ignorant, qui de
Vobis è ratione loqui cupiunt, vt de omnib⁹
non loquantur. Verum Principum nomen, po-
pulis, non literis coalescit, veræ laudes, po-
pulorum gloria & vtilitatibus. Patieris igitur
VLADISLAE REX, nunc quoq; Au-
ctor, ac Seruator pacis nostræ dici, cum cla-

ritate eius, augusti splēdoris accessione cumula-
ta, nouus seruatæ parens, nouus sol dicend⁹
esses. Non fortuita reruin confusione, nec in-
cognito errore facti, id præstitum. Idem es qui
nos felices facis, & fecisti: secerni à Te non po-
tes, non debes. Meritò etiam liberalēm læti-
tiæ sensum, collecta in primum gradum spa-
tiosa temporum prosperitate instruximus, vt
tōtius felicitatis uiribus, vota ad æternitatem
Tibi sacram promoueremus. Permitte & Tu
SERENISSIMA REGINA & DO-
MINA novum illustrissimæ prosperitatis no-
stræ decus, nouus honor cōsalutari. Ut Tuō ma-
gis nomine gauderemus, publico gaudemus.
Quām gratam pacis publicæ spargunt umbrā
VLADISLAI palmæ, tā Tua lilia; quām tutā
præstat Ales Regius, tam Tuæ Aquilæ. Grati-
or omnibus ades **GRATIIS**. Fundis Regalis
opulentiaæ copia Regios flores, metimus spes
pares Regno. Agnosce Maiestati Tuæ deuo-
tissimos animos. Ne aut parum deberemus,
aut offerremus parum, omnium simul affectus
publico lætitiaæ cultu ad Tui venerationem in-
clinauimus.

SERENISSIMIS MAIESTATIBVS

æternum deuota

ACADEMIA & UNIVERSITAS VILNENSIS
SOCIETATIS IESV.

TRANQVILLITAS PACIS.

152

Jnter stuporem admirantis, & exultantis fortunæ triumphales plausus constituti, difficile certantium animorum pugnam componeremus; nisi eiusdem contemplatione excitaremur, cuius honore percellimur Maiestatis, VLADISLAE REX INVICTISSIME. Tantum enim profecto ac tam augustum immortalis gloria Tuæ decus eminet: ut qui Maiestatem præsentia, beatis conspectibus participant, Imperatorum orbis simulacra, in vultus Tui imagine contemplentur; & qui magnarum beneficio cogitationum, factorum admouentur admirationi, omniū stipenrur serie sæculorum. Ingens animi Tui nullisq; benè de genere humano merendi meditationibus expleta capacitas, & præterita tempora, ad gloriosa vetustæ Heronim virtutis referenda miracula conuertit: & futura, ad felicitatis suæ Opificem imitationem in Te agnoscendam, ac recipiendam; cum tardarent aduocavit. Ream læsæ pietatis naturam, diuisò tantis interuallis à beata prioris mundi parte nostro senio meritò quereremur; nisi intra Tui æui gloriam receperis, excusatura ordinem, quæ partitim negauit, in compendio exhibuisset: auctura gratiam; quæ posteri nobis in videret, in uno omnis generis atq; ætatis præparasset virtutum exempla. Quanquam, eorum ne temporum negatam repeteremus facultatem? inter quæ, Claudiis, Nero-nibus, Caligulis, Galbis, similibusq; laruatæ dignitatis monstris obseilla antiquitas, vix demum post tā multiplicē nominum infamiam, Vespasianum Titumvè diserto suæ

B

infeli-

infelicitatis præiudicio nanciscatur: in quem , amorem nō tam deponat , quām fastidio sui , aliorum odio victa , projiciat . Nondum limine popularis laudis decepsit virtus , ab improbis probitate , humanitate ab arrogantibus , à crudelibus modestiā secreta : nobili verum gloriæ theatrum passu occupauit , qui Tibi VLADISLAE REX virtutum omnium ac laudum honoribus ambiendo par , desiderium sui post optimos facere potuit , & exsatiatum generosis affectibus amorem , aut mereri , quod paucorum est , aut irritare quoq; quod Tuum . Perceperit verò copiosiora beneficentiaē supernæ munera Polonia , cum paucis submotis calculis , virtutem perennem in Regum suorum circūferret nominibus , potissimum posteaquam IAGELLO-NIA , hoc est Tua facta , nunquam coronata vitia , magna terrarum prodigia in solio adorauit: noua tamen nos Tua merita , restauratis per amplissima facta damnis naturæ , dignantur felicitate: quòd non subductura se Tibi pulcher rima gloriosorum sacerdorum turba effugisse , verùm magnificientiore comitatu venientem exceptura , obuiam processisse videatur . Felices Polonias VLADISLAO IA-GELLONE , Gloriosas VLADISLAO VARNENSI , beatas CASIMIRO , Inclitas IOANNE & ALEXANDRO , Inuictas SIGISMVNDO primo , & AVGVSTO IAGEL-LONIBVS Regibus: Tua Sacra mens diuinorum fæcunda altrix honorum , Tuum vastum pectus , fortunatus publicarum curarum linus , Tuus infraextus animus Fortuna maxima maior , Tuasumma in pari potestate felicitas , felicitate moderatio , gloriæ innocentia , & copia meritorū multiplicat , & varietate distinguit tempora: vt non fictis votis , sed verâ rerum expressione , cum Te fortunatissimum , Victorem , Triumphantorem , Pacificatoremq; intuemur , absentibus temporibus intromittamur . Hinc euenit vt SIGISMVNDS quoq; TERTIVS , Princeps multis alijs nominibus , eo autem plurimum , immortalitatem meritus , quòd Te eadem dignissimum genuerit , posteritati suæ præsens obuergetur . At Tu complexus omnia am-

nia ambitu gloriæ spatia , amplitudinem ipsam modestiâ cingis, exuberantemq; publicæ felicitatis copiam, & suffæcturam affluentis æui vastitati exundationem, continuis auges incrementis. Olim Tibi calcata Septemtrionis in solescentis audacia, elisæ ruentis in exitium Orbis Christiani, Orientis vires, fractus Balthici effervescentis furor, plurium terrarum seruitutem mancipassent: olim Marti Tuo impar hæc Macedonia non suffecisset, si virtute, potentia, fortuna, magnitudinem metireris: suffecit autem quia in usitato gloriæ prodigo, Poloniā famâ Tuâ extendisti; sic quoq; non regno ambiendus, sed Regnum & orbem terrarum æquatis cum cœlo magni nominis lateribus ambiturus. Nullius imperij arrogans iactatio, Poloniam contemnat exiguitatem; nulla barbararum nationū insolentia, patere regni atq; Provinciarum limites, armatae audaciæ cogitet: VLADISLAI Regis gloria, Poloni Regni limes: cuius etiam terrore, certius quæ aggerum aut mæniorum complexu cingimur, & potentissimis vndique vallati hostibus, nusquam hostes inuenimus. Atque hæc est singularis illa Tua, nullius inter tot Europæos Principes exemplo debita, nullius æquata æmulatione, laus, & virtus VLADISLAE REX; uno gladij ictu, non renascitura maximorum nostri sæculi monstrorum capita præcidisse, ereptisq; sceleri, & amentiæ triumphis, spem quoque vincendi non reliquisse. Plusquam humana manu oleam Iauro Tuæ innexam abundè probas, cùm pondus virium humano generi graue frangis. Magnum verò sit, auidū sanguinis ferrum, furentibus hostibus extorsisse; plus animum, supremum afflictæ fortis solatium, vnicum fortunæ irritamentum. Sæpè prostratus in terram hostis, victoris plantam momordit, & vestigium quod subrueret, iacendo anre pedes notauit. Sæpè repentinum virentes palmas excussit fulmen, & frontem oculis perduellibus signatam, detracta lauru, ignominia deuictoru oppressit. Dum cadunt corpora, surgunt iræ, inuocatur malis suis irritata vltio, donec audacia extorqueat; quod negauit fortuna.

Quem-

Quemadmodum morbi grauitate oppressi, vitæ autē cupidi mortales, neq; naturæ deficientis periculis, neq; consulentium credunt monitis, quin vexationem membrorū iudicent, quod mors est : ita similitudine improbae contumaciæ durati hostes, virtutem victoris, vicissitudinem fortunæ ; victorias, euentus subitos appellant, cumq; se prostratos ac elisos sentiant, cecidisse tantū persuadent. Recipimus ab oculis animorum fidem, affinibus vndequaq; obsecsti exitijs, tantoq; magis virtutis Tuæ diuiniorē quan-
dam vim admiramur, quia feralibus exercituum & popu-
lorum funeribus lauiciati aspectus, nusquam à diro fatorū
occursu, nisi ad Te conuersi liberantur. Alij bella gerunt,
Tu perficis: alij pugnant, Tu vincis: alij victorias ambiūr,
Tu triumphas. Illorum terror, aures affigit, Tuus, auda-
ciam sternit; illorum dextræ fortunæ ministræ, Tua cœle-
stis potestatis particeps; illorum acies in corpora, Tuæ in
animos ad solam Tui venerationem surrecturos vibrantur.
Procul deinceps, procul à nobis superba fabulosæ veritatis
mendacia abeste. Herculea prodigia vltra fabulam non
sapiunt. Et vt sapiant, Herculii informes naturæ fætus,
VLADISLAO, Hercules & Thesei; Herculii, vnius an-
tri pernicioſa bellua, **VLADISLAO**, Orbis Christiani per-
nicies obiecta. En Heroem! sub cuius manu absq; igne &
incendijs oppressi fatalium ceruicum spiritus, in vitales
se se amplius non animauere motus. Infra eandem iacent
gloriam; magni Po; peiorum, Crassorum, Metellorum
tituli; quorum victoriae certitudo extremis debellatorum
supplicijs sanciebatur: siue quod inuictum mori, qui se vi-
etum difficeretur, ignorarent: siue quod perdere eos mal-
lent, à quibus vinci metuerent. Viuant sanè hostes, sed ti-
meant: viuant, sed addictis mutilatorum regnorum pro-
uincijs seruant: viuant, sed ignominiae suæ infamiam, ad
victoris gloriam, patienter ferant. Pande concolores for-
tunæ Tuæ alas Moschouiae Aquila, pete regna, orbē cir-
cumuola. Nosceris vbiq; **VLADISLAVIANÆ** gloriæ
serua, & quoq; volatum protuleris, ignominiosā da-
mnabe-

mnabère notā. Vbi vires ? vbi robur , vbi mentita diuinitatis potestas ? Tu illa Iouis laruati satelles ? Tu prædæ populorum , perduelli designata voto carnifex ? Tu violatorū fæderum infelix auspex ? quām malè furtuæ conducunt in dignis laudes ! Ne non numinis ministra videreris , superbissima fulmina , intra sidera accenderas ; at nunc eorundē malè auspicatis correpta flammis , cadauere regni scelus penderes , nisi vitam à Regis nostri recepisses clementiā . Tu quoq; Solis in Septemtrione Orientis inuidissima æmula , barbara Othomanici imperij Luna , excitatas tempestatum procellas , Tui àeris peste , lue ; Duceſq; vesaniæ inchoatæ præfoca . Discant Abassy , in suam perniciem verti , quicquid contra **VLADISLAVM** molirentur : discant Regi nostro , non ciuium tantum , sed & hostium pugnare manus ; discant communem eodem Rege auxiliorum consiliorumq; polis & Polonis interuenire societatem . Quos Polonæ subtrahunt , suæ reseruant superivindiæ . Stupet inanibus deiecta sæpius ausis barbaria : & os illud patulum , improbam regnorum voraginem , sub restis ludibrio ac tormento prospectans , sui criminis & corporis poenis gaudet , improba sceleris author , æquissima vtrix . Illa quoq; Tyranni dextera , in minas primùm amentiâ erecta , ille gladius Christiani cruoris sititor , temerariâ ferociâ , ad commendationem audaciæ pulsatus , intra trepidationem pauentis Domini inclusus , dum Te cogitat , vires non inuenit ; dum memorat , aciem perdit . Tametsi verò hæc sub vulgari magnorum operum facie conspecta maximam admirationem meritò inducant : si tamen genuino ferociæ vultu spectanda exhibeantur , in prodigium degenerant . Audiat æternitas ! Moscouiam **VLADISLAI** Regis armis profligatam , integris sanctæ pacis conditionibus fæderatam denuncio : Turciam solâ aduentûs eius famâ , à limitibus Regni , summo cum dedecore reiectam , nec moliri scelus ultra ausam affero , audiat . Illâ enim ferocissimæ nationes aguntur superbiæ ut cæterarum gentium vires facile præ sua potentia contemnant ;

re; sine superiores conueniri cogitationes. Dixeram vti-
que, ante triumphales pedes Tuos, non corpora tantum,
verum animos quoq; procidia veneratione prostratos. Iam
nunc quod asserueram specto: jam Diuinam Tibi vim in
animos imperium extendendi inesse intueor: quandoquidē
ab omni belli metu, publicæ fidei ac potissimum Tuæ Sa-
cramento liberatus, stipatorum cohortibus, & Senatūs po-
tentia cinctus, in ipsa imperij sede, in pacis corde, adhuc
tamen de Te Dux hostium immanissimus cogitat, adhuc
trepidat. nisi forte, ut sermonem Tuis potius, quam illius
moribus conformem, in Tuo nomine, fatalibus oppressus
angustijs, respirat. Veritus est nihilominus, ne nisi Tibi
placatus è viuis discederet, vtrici morientem sequereris
vindictā: mutataq; contumacis mentis scenā, ne Perduel-
lem quereres, æternum se Victum est confessus. Intimis
procul dubio imperij visceribus hæc vox recepta: cuius
grauitatem si vñquam barbaria violare ausa fuerit, ma-
gnis viribus opus non erit. Desperatione duci exanimata
facilè in triumphorum nouorum fundamenta concidet.
Retorquebit etiam oculos in propinquiorem Scythicæ in-
cursionis tempestatem: quæ fata bellorum, humanis rati-
onibus expendentibus, turbatura serenum videbatur: at
euentus argumentis, nubes quædam Martis hostilis erat,
auctura interitu, in quem impulsa properauerat, serenita-
tem. Dubitari aliquando fortassis poterat, num signis an
auspicijs inuictvs pugnare? gloriam Tuam an præsentiam
fortuna vereretur? Probasti vtrumq; abundè, à Moscho-
uiticis victorijs ad Turcas conuersus: itineribusq; belli
susceptis, triumphorum emensus spatia. Virtutem in a-
gmine ducebas; fortunam præmiseras. Virtus pugnam
moliebatur; fortuna serebat cædes. Virtus, acies & ca-
strenses respectabat labores: fortuna, lauros Emathias frō
tinebat, & sacram, cruce Mahometico tingebat, pur-
puram. Veniebas, & aderas: expectabaris, & inter hostes
versabâre: inuocabaris & victor timebâre. Quid igitur
consilijs fatalibus illis legionibus adfuisse dicam, ut Te pro-
vinci-

uinciarum votis in Lituaniā auocato , limites regni ingēti exercitu infestos facerent, barbaroq; ausu pacificas Tuæ oleæ adoreas, corripere tentarent? num deuotæ Polonorum saluti viçimæ , gloriam infortunatorum manium à tanti victoris nomine quæ siuerunt? an bellorum vices, dubiūmq; regnorum vicissitudinem imperio Tuo inferre meditabantur? Factum, quod euenit plerumq;, vt dum rerum momenta non cognatis ponderibus, sed proprijs librarent cupiditatibus, pronos in humana pericula fortunæ casus, suâ manu capiti ingererent, suæ sepelirentur mole audaciæ. Cadant ergò, referantq; non impares prioribus furij vmbrae: hostium VLADISLAI, numerum augeri posse, vires non posse. Tam Tibi fortuna constans quam virtus. Itaq; quoties eâ vti statueris, omnia ex voto cedunt. Nullus tamen Tibi funditur cruor, nisi cuius copia, vitale patriæ respirium præfocat: nullum cadit brachijs caput, nisi quod improbo erectum conatu, fatorum Te circumstantium obijcitur custodiæ. Conditur modestâ vaginâ bellator mucro: sic quoq; formidandus, & ad omnem armorum strepitum expeditus. Intelligent hæc, titiones ex ipsis vndis marinis prodigiosè prognati, ardentis bello Orbis Christiani fauillæ, quæsitorum dominiorū cupidi, suorum periuri satellites, & pacem à Te impetratam, & seruent & seruatam gaudeant. Nunquam diu cum scelere fortuna retenta: corruisset autem haud dubiè, si ad Tuorum armorum experimentum peruenisset. Rerum iudicio causam committamus, & veritatem aspectu exploremus. Nonne enim sub Tuis Aquilis inuicto spectabuntur processisse agmine, virtutum acies? vestigialis gloriæ tuæ fides, æterna sacri lateris custos Religio, exploratrix fatorum Æquitas, signifer fortitudo; quas deinde paucis à Te inflexis gradibus dux præibat Deus. Quam diuersus hostilium copiarum aspectus? quantus horror scelerum, impietatis, libidinum, crudelitatis, & læsâ summi maiestate numinis læti periurij. Et quomodo non victor illis campisabiturus eras, quibus tanta præsto erant auxilia? An

D

certior

certior de euentu belli, cum Ducibus inuictissimis, cum
legionibus fidelissimis, cum militibus fortissimis, quam
cum Deo in aciem descenderes? Nulla exercitus maiestas,
spectaculum augustius, hostibusq; magis timendum ex-
hibitura erat, quam cuius frontem tenuit Deus, latus
VLADISLAVS. Expectabamus itaque victoriae cer-
ti, dum pugnam decerneret: cum Tu participato vicini
Numinis consilio, spes nostras & expectationem, pace sup-
plicantium hostium votis post Prouinciarum re-
stitutionem imperatam concessa, vicisti. Tum verò ipsæ
illæ cœlestis originis Tuæ cohortes, ab ardore belli, ad Tui
admirationem conuersæ, pronas se venerationi dedere.
Egit gratias Clementia moderatissimo vitæ humanæ di-
spensatori: accessit gratulabunda Fortitudo benignissimo
inuicti animi domitori: accedit adoratura magnanimitas
munificentissimum regnorum largitorem. At publica, &
quâ nihil bonis Principibus sanctius, in rem communem
Pietas, poste aquam subditorum commoda, amplissimi re-
gni patrimonio à Te intellexit prælata, æternum Tibi, glo-
riæ, studiorum nostrorum, votorum, memorie, regnum
in animis deuouit. Augerem orationem & Zaporou-
ensi bello, ciuilibus an seruilibus furijs in improbam auda-
ciam excitato? eoq; perniciose, quod intra viscera Pa-
triæ immensis rebellium copijs, maximâ mortis contuma-
ciâ transacto; nisi residuus ille populus, per Fortitudine
Tuam, cuius auspicijs arma perfida extorsisti: per Clem-
entiam, quâ, prostrata sceleratorum audaciâ, supplicantiū
vitæ ignouisti: ne sæculorum execrationi infamem perdu-
ellum nomine obijcerem, deprecaretur. Ignotum no-
men orbi cupit, quod Tibi non audiat subditum. Mirum
dictu! Eadem illæ acies, eadem corpora, ijdem animi,
exigua manu inuicti pro Te contra hostes steterunt; hosti-
li admisso contra Te crimine, viribus se destitutos, exhaus-
tis etiam copiarum multitudine oppidis & Prouincijs, re-
perérunt. Quærite Poloni, cuius robore infracti, cuius
inuicti virtute, immensorum bellorum molem sustinue-
ritis

154

ritis! VLADISLAI auerso nomine vincuntur, VLADISLAI afflante numine vincunt cives. Robur, Spiritus, animus Polonorum VLADISLAWS. Siluit tandem magnitudine operum Tuorum percussus Martialis armorum fragor, laudandi debitum orbis suscepit terrarum. At nos ad augustam gloriae Tuæ consortem animorum plausu auertimur.

S E R E N I S S I M Æ L V D O V I C Æ M A R I Æ

Noua gloriæ accessione Polonia serenanti.

Pande sinus Augustos Polonia!

Magnitudinis Tuae accessionem capere non potes
quin Te excedas.

Augeris; non indiga molis, sed facunda laudum.

Incrementum Regnorum, maiestas Regum.

Ambiunt glorie humeris Principes, quod non
capiunt Principatus.

Vnus sol tanto orbi, una lux tot sufficit mortalibus.

Sol, lux Polonia,

S E R E N I S S I M A L V D O V I C A M A R I A

Tot lucis radij, quot generis, tot generis quot dies.

Securi ab hostibus, amicis beamur.

Denicto terrore, Amor triumphat.

Firmioribus, in constantiam fortuna, praesiis Republicæ affurgunt:

que a multis amantur, quam que timentur.

Hostibus liberi, tutum sed inerme pectus gerunt:

Amici

Amici murus inexpugnabilis.

Salve

Augusta Purpure Heres!

Alienas Te ne crede terras ingressam,

Tue sunt:

Et nisi essent;

Fierent, dum Te agnouere.

Patet regni aditus, per Civium Corda.

Quidquid Italia, Gallia, Germania, in Tua dignitate venerata est;

Polonia veneratura accubit:

Quidquid a felici Imperio meruerunt;

Polonia expectat.

Nascendi conditio, vite tessera.

Natales, fortunæ pedes,

Maiorum Tuorum tituli, Heroum orbis compendia.

Immensa seculorum Terrarum, in nostram fortunam decora coaluere.

Præsagium firmande felicitatis,

Inuictæ cum titulis Augustæ domus in Poloniam immortalitas.

Cum

Mantuam, Monsferatum, Niuerniam, Rheteliam,

In mortalis vita domicilia

Ingentes illi Gonsagæ, atq; Lotaringi,
delegissent:

In Polonia perennare voluerunt.

Alibi merita & dignitatem

Hic fata ipsa Coronarunt.

FELI-

FELICITAS PACIS

A Castrensi tumultu, ad quietis stationem, à limitibus regni pacificatis, ad viscera Reipublicæ & gloriæ tuæ, orationem deduco VLADISLAE Rex. Bella Tua, seculorum miracula; Pax, prodigium censemur. Fœcunda enim malorum nostrorum tempora, in eam cædium se profundere fertilitatem, ut communia fastidentes mortales fata, mori recusent, perimi gaudeant. At Tu fulmen & sidus Lechia, bellis immensis triumphisq; sæcularibus, anni spatio transactis, pacem ex orbe pulsam, in Poloniam aduocasti: Regali eam hospitio & solio dignatus. Timuisset illa multorum, Tu tantâ confidentiâ se commisit congressui, ut cum Regale dextram, augustum fidei pignus porrigeres, ab illius amplexibus se non sineret auelli. Didicit enim verò sæculorum experientiâ: grandius non raro Principum vitia fecisse Paci periculum, quam bella; hostiumq; intactam tellis, aut leuibus sauciam vulneribus, in Regum crudelitate penè exspirasse. Cum puris vulneribus lac fluenter no cruor, ne lac esse desineret, in alimentum Tyrannidi destinabatur: ut tamen sanguis maneret, crudelitas eo satiata. Optauit Roma irrito voto maxima bella, cum in maxima pace versaretur: bellorum sævitia, sub pacis nomine, furente. Cum hostes deessent, libertas, opes, vita ciuium, in hostium numerum relata: pugnatum seruitute, avaritiâ, ferro, ignibus: Utinam & Tu Romanis felicior fatis, detestatam in exemplis, vitæs in periculis sanguisugæ Pacis rabiem, Polonia. Pudet tandem meminisse Boleslai Audacis, bello fortunatissimi, sceleratissimi pace, invicti armis, profligati vitijs, vindicis imperij & ciuium sago, pestis & exitij togâ. Hoc bellatore nec Macedoniæ Alexander, nec Romæ Iulios, Pompeiosq; inuidimus: eodem

E

pacifi-

95329

Pax

pacificatore, Nerones & Caligulas inuocauimus. Diu felix, diuq; bonus princeps; sæculorum Phœnix, naturæ perpetuis labentis ruinis fulcimentum. Mellitum virtutis venenum, felicitas continuata: in Principe, copiâ periculosius. Verum cur vt de malis Principibus loquar, Optimum taceo? Quamcunq; vocem laus **VLADISLAI** non occupat, iniuriâ publici desiderij damnatur. Nemo securè decreuerit, hostes Te magis timeant, an colant ciues? Laurum ornes, an decores oleam glriosior? Magnus vtroq;, in conspectum Tuorum venis: & neq; vſu cōmunis, neque maiestatis indulxæ partitione minor. Nunquam igitur, crede nobis, nunquam oculos in gloriæ Tuæ pompa defixos, auertimus. Triumphi Tui non diurnis, vt illi veteres, terminantur spatijs, non curruum aut equorū præterechuntur gressu, non auri argentiq; opulentis refulgent prædis, non spoliorum atq; opum æstimantur pretio. Maiores, quām vt exigui temporis commendatione crescas: augustior, quām vt à rebus, quæ à populari iudicio valorem accipiunt, in encomia assurgas. Te igitur animi succolantes Tuorum, supra cæteros Principes euehunc: Te gaudia & plausus vniuersorum antecedunt: Te studia & vota Reipublicæ comitantur. Numerari felicitatis nostræ, Tuæ in nos benignitatis partes nequeunt: vñica tamen & maxima felicitas ab omnibus creditur, **VLADISLAO** Rege frui, **VLADISLAI** incolumente donari, **VLADISLAI** laudibus voces ac memoriam imbuere. A Te, dicturi de rebus militaribus, exempla summorum Imperatorum desumunt; Tuæ famæ eruditio, ciuilium operum cultores, optimi Principis imperium instruunt: Tuâ sapientiâ, integritate, maiestate, vniuersi pacis veræ nomen implent. Hoc deniq; sincerâ animorum deuotione sentiunt, hoc asserunt; Æternam Poloniæ felicitatem fore, si æternum à **VLADISLAO** gubernari mereatur. Vitam igitur quoq; vſu communem, prærogatiuâ mirabilis beneficij non modò gratorem, sed & diuturniorem facis, posteaquam posteritatis suauit-

159

suauitate delibuti hominum sensus, satis se vixisse arbitrantur, quantumcunq; sub Te vixerint. Longam vitam non curant, qui bonam habent. Non viuere, sed vita fortunatè frui, vita est. Bonus itaq; esse non potes, quin omnibus sis. Ius summmum moderatione cohibes? omnes liberi sumus. Potentiae satellitio, maiestatem cingis, non armas ambitionem? omnes tuti. Auctionem beneficiorum pro censu numeras? omnes grati. Fulget sceptrum, non fulgurat: imperat potestas, non premit. Virgo instantium operum multitudine, neq; rationem sermonis distinguendi reperio. Audio libertatem, Polonæ nobilitatis magnificum titulum, auribus insuffrancem: **Me VLADISLAVS adamauit.** Audio honores & Magistratus: Nos ornauit. Audio legum, & jurium sanctitatem: Nos erexit, & roborauit. Audio literas, & literarum cultores: Nos facultatibus, iudicio, honestauit, promouit. Fora deniq; mænia, vrbes, terræ, Tuis vel amplificatae ornamētis, vel munitæ præsidijs, in similes laudes, voce, & encomio ingenti coniurant. Et dicam aliqua, & tacebo plurima. Dicam, quod silere nequeam: tacebo, quod loqui. Inter prima benē ac feliciter imperandi præcepta, grauisimum illud semper habitum: exercere imperium, nec sentiri, præstare facienda, nec fatigare. Violenta potestas, ingrata, infida, breuis. Tibi hæc debebatur gloria ut Rex esses, nos liberi; liberi essemus, & à Te regeremur. Quod quidem gloriosius iure meritò censemendum ijs subditis, & liberis, quos magnum libertatis nomen, à cæterorum regnorum conditione secernit. Semper Poloni suis Principibus obtemperare prompti, nescio an ulli libentiū obsecuti, quam Tibi. Omnium in Tevnum Regem concordia suffragia consenserunt, omnium conspirauerunt obsequia. Imperas ut Princeps, prouides, ut Parens, gubernas ut lex; dignissimus summo solio, remotissimus libertatis contemptu. Ostendisti multorum sæculorū commendatione, Tuotamen potissimum vsu, probatam vniuersis regnandi regulam. Nullius imperij statum optimo

Prin.

Principi, non esse optimum: & neq; Imperatori bono , gra-
uem esse subditorum libertatem ; neq; libertati subditorū,
Imperatorem bonum. Quanquam vnuſ plurimū possis,
plurimumq; pro nostris commodis agas ; omnium studi-
is, ac iudicijs res perfici censem̄t : pulcherrimā liberta-
te, in qua nulli à Principe dissentire licet, quia nec Princi-
piā Republica. Vna mens Tua omnibus est, quā regantur;
omnium Tibi Cor , quo vtilitates vniuersorum , comple-
ctaris. Ne affectus per multos diuidas , in omnibus Rem-
publicam amas. Nusquam igitur Nobilitas illa aurea, illaq;

Toto pretiosior auro

Libertas, se magis auream sensit ; quām cūm in Tuō
vertice atq; manu aurum imperiale effulſit. Ita curas pu-
blicas cum diademeate assumpsisti ; vt nos curis Tuis coro-
nares : ita ad dexteram Tuam nobile potestatis insigne ad-
missisti ; vt foueres, non stringeres obedientiam. Quid
quod commune Tibi legum vinculum facis , viuendi im-
perandi q; ex publico bono rationib; , Tibi a Te præscri-
ptis ? Quām diuersa , hac virtute , in vnum coēunt? supre-
ma potestas, & maiestas, ad legum obseruantiam sponte
inclinata. Quām delectat frequenti conuentu Tuos am-
bire aspectus? Stupere Regem in solio , legem in fastigio ;
illum omnibus maiorem , hanc, quia vis , Te altiorem. In-
telligo, quam meritò admireremur in eo culmine præfixos
iustitiæ codices , in quo locari solitum non ignoramus gla-
diū : in ea lateris parte constitutā æquitatē, quām ex Prin-
cipum consuetudine obtinere consuevit summum ius , &
assecla juris summi, summa iniuria. Habent Principes
propositam imperandi rationem , quā mereantur felicita-
tem. Hominibus præsint, subsint legibus. Omnia sibi lice-
re intelligent, plus legi. Æterna quædam ac immutabilis
Mens Lex est ; quāc cūm Tuam potestatem circumscribis,
nonne incertas sentiendi, dissentendi q; ratio nes, perenniū
consiliorum constantiā solidas? Pareatur quoq; libentius,
tanto parendi exemplo , & seruata legum à Principibus in-
stitutione , Principum assueſcitur à subditis imperio. Eius-
dem in

dem in Rempublicam Tui animi eximum argumentum
illi publicarum dignitatum iudicio, proximè Tuæ Maie-
stati admoti; qui libertati, impenso sanguine, aut difficil-
limis laboribus, pretium fecissent. Quanquam enim, gran-
dibus parentum studiis, parta decora, solam posteriorum
æstimationem ad perennandum requirant, euenit tamen
plurimum, ut quæ solius fortunæ munera putantur, negle-
ctu vilescant. Mægnum rerum pondus, affusus frontis pro
priæ sudor: magna libertatis in dignitate tuendæ commen-
datio, meriti titulus. Honor, publicæ salutis onus, regno-
rum decus, virtutis census. Recedat igitur domesticis
emollita blandimentis ignauia, recedat infamibus innutri-
tum tenebris otium, recedat pretiosis stipata vitijs ambi-
tio: accedat autem fortitudo, accedat solertia, accedat sa-
lutarium consiliorum capax animus. His suffragijs, ascen-
duntur curules, capeſſuntur falces, constat potestas iuris-
dicendi, æquissimo ac maximo virtutum iudice **VL A-**
DISLAO. Eosdem ille amat comites honorum, quos
laborum socios probauit. Benè castra in curiam tranſeunt;
vt curia quoq; fatis publicis id pōſtulantibus caſtra ſequa-
tur; & Mars Lechicus quiescat, non exarmetur. Digna
capita coli, quæ depreſſam patriæ fortunam erexere: di-
gnæ manus ornari, quæ purpuræ ruborem largo hostium
cruore auxerunt: digna pectora adorari, quibus Respu-
blica tutò incubuit. Mars Rex, Martius Senatus; Maxi-
mus omnium, calcatis barbarorum tumulis Rex; maior
ceteris, substratis eorundem cadaueribus Senatus. Sequa-
mini animum oculi. Nondum ſe totâ maiestate ſpectan-
dam dedit, augusta honorum amplitudo. Sunt, ſunt quo-
rum ſapientibus consiliis, tantùm Republica debet, quan-
tum aliorum cruentis; tantùmq; quantum armis: imò ad
quos armorum, & victoriarum referat felicitatem. Aduer-
ſa, refiſtendo ſuperamus; ſecundis, ſecuri obruimur; ibi
fugiuntur, hic amantur pericula. Magna pars felicitatis
eft; fatum ſuum, antequam irrueret deprehendifle, de-
diſſe fortunæ verba, oppoſuiffe robur, nec inultum, aut

imbellem cadere potuisse, at fortunā sine sensu nocente, præsidijs spoliari, prostitui absq; remedio casibus quiescētem, & præstigiis prosperitatis soplum extremis periculis circumueniri; hæc demum magnæ felicitatis, maxima infelicitas meritò censenda. Parum interest lauro, an oleâ eius patriæ ciuis coronetur, quæ bellorum iuxta ac pacis artibus illustris, manu capitis, mente corporis tuetur integritatem. Fortunatam virtutem, quæ summi Regis vicina solio, eiusdem iudicio crescit. Sibi imputet, qui cunq; obscurus iacet: promptus atque vñus ad honores accessus, virtutem parem dignitati, VL A DIS L A O spe-
ctandam obtulisse. Huius REGVM DIGNISSIMVS vocibus intendit; cum hanc quotidie de ciubus deliberat; eius consilium sequitur, eius suffragijs, dignates tam magnificè impendit: quam liberaliter supplicum, & fortunæ indigorum supplicationibus largitur clementiam. Hominibus præesse, non satis existimat; nisi eorundem interueniat necessitatibus; quantumque priuatis eminet dignitate; tantum quoque benignitate præstet. Ades fortuna! adeste Cœlites! Fortunæ munus esto, paria beneficijs ex citare animi grati studia, congregare omnium cultum, inuocare sæculorum fidem, testari suam in agendis VL A DIS L A I munificentia gratiis inopiam: cœlitum æmulam in terris agnoscere virtutem, meritas promere laudes, amplissimam rependere liberalitatem. Quis vñquam Regalem accessit fortunam, vt in suam non incideret? quis inuocauit beneficentiam, vt vota plena non referret? Tanta interuallo, prosperitas ab hominibus separatur; quanto homines, à Tui aditu omnibus prompto, diuiduntur. Scis, quæ sint Principum veræ, germanæq; opes, quod auri pretium, quis opulentia thesaurus. Ærarium diues ære, destitutum ciuium affectu; pretiosa ex Tuо sensu Regum egestas; animorum ex calamitate subleuatorum percepti census, perennisq; benevolentia, atq; prompta pensio, Principe Domino, dignum tributum. Neq; verò quidpiam in rebus humanis interuenit; quod Principes à priuato-
rum.

rum fortunā, tam glorioſis argumentis excipiat: quām splendor munificentiæ. Cætera mortalibus communia ſunt; aut excellunt quidem, non excedunt conditionis æqualitatem: dare autem fortunam alteri, imò reddere hominem ſibi, illius quæ nos nobis dedit, eſt potentia. Præelle hominibus, plurimjs contigit; imperare fatis, & ſceptri potestatem ad iniuriarum humanæ vitæ ſecuritatē cohibendam extendere, Tibi ſimilibus. Similibus dico? Quis verò ille tam ſublimibus ſpectandus meritis, tam altē ſupra cæteros euectus, tam plenus Deo, qui in Tui comparationem descendat? Non cenſeo nomina, ne cenzuram incurram ſæculorum. Grande ſecuturæ ætati elaboraſti negotium, munificentiæ Tuæ æmulationem. Indignabūtur, tot annalium encomijs celebrari diurnam Vefpafiani beneficentiam, cùm integras mortaliūm ætates Tuis incluſas conſpexerint beneficijs. Ne tamen diu quærant laudis similitudinem, reſpicient ē propinquo Dunam, Chronem, Viliam, ſublatis oneribus tributorum, ingentibus ſe vorticibus, hoc eſt Tuæ liberalitati parib⁹, in mare præcipitantia flumina. Loquentur publica beneficentiæ exēpla pro priuatis, iijdemq; amnes nostris commodis, Tuis laudibus implebuntur. Horum littoribus egena ſubſidiorum, diues animi militaris virtus, Tuorum interuentus præmiorum refiget: hiſ portibus, naufraga impensis publicæ necessitati patrimonijs multorum fortuna, liberalitatis oblatæ trophæa ſtatuet: huic aquarum perpetuo decurſu, orbatæ viris matronæ, natis matres, tum facultatum à Te impensarum largis ſolatæ auxiliis, gratas ad Tui memoriam lacrymas, pro triftibus affudent. Neq; per confinia aquarū ſparsus puluis, in ſcriptum carmen non diu ferret: Marmor fit de puluere, in quo ſcribit gratitudo. Quodſi ad ſolem, clarissimum liberalium Principum ſimulacrum conuerſi, Te in ejus ſparsa per terrarum ſpatia luce, ſuſpicer voluerint: pauciora in eo legent lucis nomina, quam a Te proficiſcantur munera beneficentiæ. Quanquā enim benigniſſimum in humanum genus fidus, nunquam ſe ita
terris

terris subtrahat ; quin aliquem spargat diem : contrahit ta-
men non raro splendorem , grauiq; vmbrarum tristium
contumaciā, vota supplicantium diu fatigat. Tui vultus
benignissimi gloriosus fulgor perpetuò idem, perpetuò in-
nubis, eadem semper lætitiae promptitudine gaudet, &
Tuo exilarat. Nam tum quoq;, cum aut publicæ rei
authoritate, beneficio præstanto intercedente, aut peten-
tium indignitate vocem vt non exaudiatur deprimente, a-
ut iusto indignationis merito affectus propensionem cohi-
bente, invitam aliquibus negare cogeris manum ; impen-
dere consueisti, amænissimo vultu , animum : vt cùm alij
docent, discant alij ; nos absq; ostentationis cōmento, ne-
minem à Principis vultu tristem abire , experiamur. Hac
ratione, munera subtraxisse gratiam , est liberaliter im-
pendisse. Multum dedit, qui pro contemptu , æstimati-
onis suffragium ; pro ira , humanitatis obtulit significatio-
nem. Nemo non ditior à Tu conspectu recedit, nemo
non felicior. Magnus est bonæ spei prouentus , & diues
census clementiæ , ac propensionis Regiæ solatium. Quid
quòd temporum moras, magnitudine pensas beneuolen-
tiæ ? quòd expectationis tædio , recordationis interponis
humanitatem ? quòd obices votorum obtainendorum, Tua
amoues curâ , studio , maiestatis autoritate. Tot boni
Superi in vno beneficio beneficia ! tot in gratia , gratiæ !
Scribatur verò liberalitati proximum & illud munificæ iu-
stitiæ genus, quo auaritiam rapinis , rapinas iniuriarum se-
curitate, donaturus iuribus vigorem, hominibus fortunam
exuisti. Cùm enim improba nocendi cupido , tem-
porum publicis iudicijs destinatorum breuitate intercipi
non posset, & fallacium artium scelerato textu ingenium
cum crimine inultum sèpè ostentaret ; alibi iudiciorum ,
legibus æquissimis auxisti spatum ; causarum alibi vagos ,
certis sanctissimisq; rationibus circumscriptisti errores.
Simul igitur & euadendi meritas pœnas , necessitate quæ-
stionum iudicialium spes elisa ; & illudendæ dilatione iusti-
tiæ , audacia effracta. Indignum Tibi vt erat visum , ca-
lamis

162

lamitosâ aliquorum potentia, infirmorem ita vexari egestatem: ut fessa primum, multitudine subselliorum, tum causarum alienarum interuentu suis ordinibus exclusa, cedere afflita cogeretur; ne in se corrueret, consumptis diuturnitate viribus. Primus dicere causam cogitur, qui primus inferre ausus iniuriam: quod distingui in foro iustitiae honoribus, amicitia, opibus non possent; qui criminibus se æquaſſent. Iudicibus haſtenus scelerum vindicta commissa; nunc suos, ipsa scelera, authores accusant, condemnant. Licebit tandem miseris, suæ fortunæ vultu in publico conspicī: quod sæpè negari, miserrimum erat. Licebit afflictis, commodatis Tuæ clementiae humeris iacentes fortunas attollere: quæ in desperationem proiectæ, ſitu & ſquallore conficiebantur. Conuerta instrumenta audaciæ, insupplicia; & temporum iniuriæ, temporum beneficiis sarcitæ. Promptitudo peccandi, pri-
mum peccati tormentum. Non iam rei arbitrium, cauſa; sed cauſæ imperium, reus ad Tribunal ſequitur: neque cum vocem debilitauerit expectationis fastidium; ſed cu veritas roborauerit, loquitur innocentia. Crescebat impetus criminum, ſpe licentiæ diuturnioris: poena factum consequens, vmbra vindex scelerum, dum minatur, detteret à crimine. Nullis quidem temporibus publicum Polonia asyllum improbis præbuit: dictæ leges, antequam conderentur; tum conditæ, publica priuataq; officia, æquissimis iuribus distinxerunt, afflixerunt vitia poenit; iudices cauſis, ſapientiſſima præſcripta iudicibus, addixerunt: plū tamen valet ingenio improbitas, quam ut tota ſimul deprehendatur. Cœlo etiam iudice, nouæ criminum continuoq; naſcenti industriæ, vetus poenarū & ſimplex non ſufficit disciplina. Memorem ne verò alias ſanctiſſimas leges, non in noſtantummodo, verū in omnē posteritatem beneficas? reuocem ne ordinis Equeſtris dignitatem gloriouſiſſimiſ iudiciis amplificatam? prouinciarum ac populorum concordiam, ſtabilibus limitum fœderibus roboratam? templorum atq; ſacrorum coetuum

G

ſecuri-

securitatem maximâ fide munitam; amplitudinem, magnificis prærogatiuarum æterno iure concessarum impensis auctam? Fortunatam te Polonia tuâ pace, quia **V L A D I S L A O** Pacificatore. An pacem amem, nisi talem aut talem sperem, nisi sub Rege tali? Magnum est nomen Pacis Publicæ; neq; solum hostium impetum, finium pericula, prouinciarum terrorem, arma, pugnas, cædes à Republica excludit: verū mutuam ciuium securitatem, vrbium concordiam, legum vigorem, Magistratum vigilantiam, Principis innocentiam, æquitatem, iustitiam, gloriæ luæ finu ambit. Hac ego pace, te felicem, ô Patria gaudeo: huius autorem **V L A D I S L A V M**, quo virtutum titulo ex merito consalutem, non inuenio. Suggere, sed parem: sed tantum, quantum est nomen **V L A D I S L A I**. Præteritam ætatem consulis? Alia pars æui, vnum probi nomen encomio suo suffecisse gloriabitur: alia, p*ro* se ostentabit conspicuam commendatione: *tus*ti encomiū, alia in suas laudes deriuabit. Hæc cùm audiueris, cùm collegeris; maior omnibus, & sibi soli par spectabitur **V L A D I S L A V S**. Tantum cæteris ille eminet, ut glorioſſimum maximarum virtutum nomen, priuatum censi possit, nisi dicatur esse **V L A D I S L A I**. Amo præ cæteris ingenium Romæ, quod vt Traianum vocaret, Optimum dixit: dicere tamen, quod amo, non possum; propter tituli supremam dignitatem, fraudibus adulacionis, corruptam. Adij gloriosam illam vetustatem, patuerunt Principis cubilia, admissus sum ad præsentia vsum, atque (pro pudor!) Imperatorem summis laudibus stipatum, titulo Optimi proiecto, assumpta pessimi crudelitate, ciuium occisorum corpora läbentem conspexi. Didici postremo fideli annalium narratione, impiissimum diuinitatis affectatorem, specie quadam eminentis virtutis, Romanas ambijſſe laudes, ignarum magnarum virtutum nominibus non tegi, sed prodi vitia. Tibi igitur Tu comparandus **R E G V M G L O R I O S I S S I M E**, cuius solo nomine auditu, erigimur animis, admiratione, spe: neq; tamen vniuersani

uersam gloriæ complectimur Maiestatem. Nunc igitur
demum, rerum felicissimo magisterio, disco; quid sit quod
cùm longe plura, quām vlli in antecessum Reges, factis
Tuis impleueris historiarum ac eloquentiæ monumenta;
cumq; clarissimorum diuersissimorumq; scriptorum fati-
gaueris laudibus ingenia: perpetua tamen literarum eru-
dito cultui superueniat materies, & sèculum Tuum, sècu-
lum Tuorum audiat Oratorum. Nascentur, tanquam
sub palma, fertiles meritis libri: nec sistere a laudibus pos-
sunt, cùm merita sequuntur stilo, semper tamen tardiore.
Sola deterret à dicendo rerum maiestas, frequensq; illa, &
candida de Te loquentium confessio. Non sumus dicen-
do, ferendo non sumus. Quantùm alius in sermonem pro-
duxerit; tantùm restare alius inuenit, narraturo VLADI-
SLAVM. Eloquens sibi videtur, qui nominis proferre au-
det dignitatem: estq;, qui potest. Desinit esse vox bar-
bara, summo ornata encomiorum titulo: desinit videri e-
xilis, compendio gloriæ & uirtutis occupata, VLADI-
SLAO. Et multi quidem, toti se substraturi maiestati,
Atlantico robore firmantur: non pauci infantiam virium,
beato exercent onere: utriq; felices, quia Tibi grati; illi,
adulatâ firmitate facundiæ; hi studioso affectu. Amas enim
bonas literas, quia bonæ sunt: amas, quia magnorum ope-
rum susceptâ confidentiâ commendatæ. Gaudet classi-
cis famæ, impleti orbem, animi conscientia virtus; certissimis
que immortalitatis præconibus, committere nomen, non
dubitat. Quòd si intima sacri pectoris Tui promere dare-
tur, atq; ærarium opulentissimum, cùm amoëriorū, tùm
seueriorum scientiarum introspicere: dicerem quod res est,
& ad fidei meæ testimonium, vniuersorum confessionem,
inuocarem. Amas literas, quia pars Tui sunt: amas, quia
in ijs, quanquam aliud agentibus, Te semper intueris. Quid
enim? Maximum illæ Orbis atq; siderum æuternumque
numen loquuntur? Tua, rerum Diuinarum cognitione,
ac ipso Deo fæta mens, se è vicino spectandam exhibit.
Abditas naturæ causas ingenio vestigant? Tuus ingens ani-
mus,

mus, arcanis vniuersi motibus assistens, admirandum se
præsentat. Verborum cultum sententiarum grauitati ad
dictionis commendationem illigant? Tu, vitam animum
que eloquio ministras. In tota deniq; heroum expressus
spectaris antiquitate: & tota in Te, summæ virtutis, sum-
mæ fortitudinis, summæ sapientiæ maiestate effulta, spe-
ctatur antiquitas. Collegisti, intra gloriam Principis, de-
cora orbis, REX ARMORVM & LITERARVM MA-
XIME: nec aliquid superest, quo Magni Principes dici
potuerint, aut deinceps possint; quod, in Tuæ fulcra ma-
gnitudinis, non subiecisses. Crescent itaq; Tua magni-
tudine adiutæ literæ, autoritate, æstimatione, patroci-
nio. Quàm ingens illis bonorum cumulus accessit; cùm
Moschouiam deuictam post se trahens, ad Academicum
puluerem, de curru triumphali, & maiestate descendisti:
permiscuisti augustam sapientiam Principis, Doctorum
confessui & colloquio: sceptrum ad pedes, ante quos recē-
ti iacebat prostrata cadauere barbaria demissum, erigi
imperasti: Sapientiæ postremò Theologicæ candidatum,
& in uno omnes, annulo regiæ manus oblato, coronasti.
Vidimus illo die Herculem triumphatorem, Apollinis sa-
crario, stupore omnium, se se inferrentem: vidimus pro-
uinciarum deuictarum trophæa, in Musarum ædibus sa-
crata: vidimus, & fastos felicitatis inusitatæ, nouo hòc be-
neficentiæ munere inchoaturi, Academiam Vilnensem
perenne VLADISLAIR Regis Capitolium diximus: cui
semel triumphalis Imperator inuectus, æternum inter me-
moriæ & gratiarum eruditionem triumphabis. Auxisti
magnitudinem iudicij, præsidiorum cumulatâ accessione;
Academicarum controuersiarum prærogatiuâ, ad Tuum
Tribunal aduocatâ. At cùm subleuares afflictam causa-
rum authoritatem, oppressisti nostram gratitudinem. Ego
verò, cùm sub felici pondere ruo, omnem posteritatem ad
Tui VLADISLAE Rex cultum mecum aduoluo. Iacebo
viuum ante pedes æterni beneficij monumentum: & pe-
renni, animi proiecti tumulo, debitum literarum sæculis
testa-

testabor. Cognoscet suæ pacis fælicitatem ab hoc aspe-
ctu Polonia, ad eius prosperitatem augendam; virtus &
literæ imperio Tuo coniurarunt.

S E R E N I S S I M Æ L V D O V I C Æ M A R I Æ

Magnarum virtutum coniunctione Felicita-
tem publicam augenti.

Virtutum nexus, laudum neruus,

In Principibus

Publica prosperitatis robur, & catena.

Magna in fundamenta leticie, magna fortune munera
Posuimus.

Ædificium meritorum, gaudiorum molem auget.

Gaudemus TERRARVM PRINCIPES nubere,

PRINCIPES VIRTUTVM

nubere magis gaudemus.

En Purpuram

S E R E N I S S I M Æ L V D O V I C Æ !

Textus hic non artis, sed virtutis, rubor non coloris,
sed animi.

Vniuersum landum miremur apparatus:

Vna, in Regina spirat vultu, loquitur ore, residet
pectore, eminet maiestate, VIRTVS.

Quisquis cœlum inspexit humanam non dicet.

GONZAGANA est,

H

Et

Et

L V D O V I C I in L V D O V I C A.

Ludit concors nominis & sanguinis per merita harmo-
nia, nec fallit.

Cælis accepimus

L V D O V I C A M.

Habemus, quibus muneremus superos, & muneremur
a superis,

In throno virtutes.

Quanquam

Tam que ab alio venit, propria

S E R E N I S S I M Æ L V D O V I C Æ

Gloria est,

Ut Patria quoque censeatur.

Ne ambigeremus;

Cælestium satellitio Alitum adest comitata :

Nam succollatorum officium,

Non aquilis gentilitiis, sed fatis imperatum.

Eodem & L J L J A Principis creuere campo,
quo Jouis educata ministra.

Cælo trahunt colorem, solum recreaturum:

Floribus, terra beantur; radicem, polus retinet.

O fecunda bonis secula !

Quorum exuberante opulentia, Regalis horti ad in-
crementa felicitatis funditur facunditas.

Colliget Pax beata,

& fer-

Et fertilem prosperitatis sinum, noua explebit copia.

Flores alij, in aduentu Principum serunt:

ut in laudes succrescant:

nos colligimus; ut natura ditemur gloria.

Regnabit VLADISLAVS & LVDO- VICA

geminata altius surget, VIRTVS.

VIRTVTVM NODVS & THRONVS,

SCIRPVIS L JLFATVS.

SECVRITAS PACIS

JLLE demum prudens nauis gubernator, jure merito audit; qui non inter irati tantummodo maris procellas, ratem fluctuum saeuentium furori subducere nouit: verum etiam in maxima cælorum atq; Oceani tranquillitate, in aduentantia pericula nauigat circumspctus. Vincere lucta fortunam, magnarum virium laus est, ingenio, magnæ sapientiæ: præuenisse autem ne auderet saeuire, an fregisse ut pæniteret ausam, glorioſius sit censendum, non decerno. Conſans est, imposta humanæ necessitas inconstantia: prosperis atque adueris temporum fata nocti, mutari cum sole lucem, cum luce dies, cum diebus serenum. Magna principia, paruis euentibus; exiles rerum ortus, ingentibus terminari incrementis. Latent occulta bonorum malorumq; intra nos semina, nec facile deprehenduntur, quam erumpant.

pant. Vultus, fortunæ benè datur, malè manus & pedes. Scopulus fatorum, securitas in aduersa expedita. Sapienſiſſimi ſcientiarum & regnorū imperatores, nauim quandam ingentem Rēpublicam, nauclerūm Principē, remorū custodes ſenatum, vela, ſubitos rerum euentūs edixere: & poſte aquam tempeſtatibus, bella; tranquillo mari, pacem, comparaffent: hostilem impetum, diuturnumq; armorū ſilentium, ex æquo rebus gerendis metuendum, decreuerunt. Magnum belli pretium pax: niſi eodem pericula emerentur. Incubuit altissimo vulnē ad Cannas Roma, ſenſit caſum, & erecta orbis victoriis, ac triumphis ſuffecit: mox eadem ſub blandientiſ pacis manu grandi abſq; ſenſu fato oppreſſa. Hæc cum loquor, ſatum Patriæ cariſſimæ animiſ atq; oculiſ obuerſatur, ſuauiſſimæ pacis longa quiete fortunatum, incerto tantæ felicitatis exitu pauidum. Magnum neſcio quid ô Poloni fortuna molitur, timendum tamen nihil eſt, quam diu gladium, aut ſceptrum pauet **VLADISLAI**. Diuturnæ pacis amor, forteſ armorū curas, animiſ arcet: cogitat pro nobis **VLADISLAVS**. Ardorem Martium iuuentutis, frigidā lenociniorum domesticorum perfundit: animat vniuersos **VLADISLAVS**. **VLADISLAI** cura omnium tutela, **VLADISLAI** ſpiritus, omnium vita. Quid agis Regiæ publicæ rei amor, aut quid ab ea, pro tantis curarum beneficiis, requiriſ? Petit ingentibus olim ferſa bellis, beatum gremij Tui amplexum; benigniſſimè impendis. Quiescit afflantibus perpetuæ pacis Fauoniis ſopita; continuo excubas. Terretur ſollicitis obscurantium è longinquō umbrarum ſceptriſ, fortiſſimè depelliſ. Tenant adhuc, recordationiſ oblequio adiutæ aures, **C A S L M I R I** Regiſ voceſ: gloriabit, ſe in cuiuslibet ſubditi ſinu ſomnum abſq; formidine capturum. Plena conſcienciam meritorum vox: tandem à Te victa; dum & Principiſ gremium ſinus Reipublicæ, & Reipublicæ ſinus, Principiſ gremium eſt. Aucta fortuna, non mutata. Dum Principi ſe Rēpublica tutò committit; Princeps Rēpublicā ſuſce-

susceptam fide & felicitate sacerulis admiranda fouet ; amor
mutuus se inuicem approbat. Quis autem hic pulcherrimarum curarum Tuarum indefatigabilis vigor ? Quis magna-
nimi pectoris ardor ? quæ flamma cœlestium ignum
æmula aut filia ? Non Te ingens grauissimorum negotio-
rum moles, non tædiū temporis, aut Tui sacratissimi palatiū
perennis hospes maiestas, à nobis auertit ? non liberalis for-
tunæ Regiæ magnificentia, pretium minorum animarum,
pensione vili corrumpit. Serenitatem populis daturus, in
publicum prodis ? deducit Te Respublica. eandem conti-
nuaturus, solium ascendis ? assidet comes Respublica. Illa
tecum perennium commodorum consilia inuenit : illa è
Regali specula, in omnes partes intenta, motus hostium
amicorumq; prospicit : illa Tuorum arcanorum particeps,
Tuorum propositorum autor, Tuorum factorum magni-
ficentissima imago. Ingens in uno pectore Senatus, Rex,
& Respublica ; idemq; fidissimus. Nulla in hac, vnius &
omnium deliberatione dissensio intercedit : nunquā Prin-
cipis alia, alia Reipublicæ vox auditur. Idem utriq; ani-
mus, idem sensus. Nam Princeps priuatis deditus, do-
mum ex regno facit ; & dominus terrarum, vnius loci fit
homo. Exultat igitur à Regis nostri non modò animo, ve-
rū etiam auribus, assentatrix illa ignauiae oratio. Di-
mitte tantisper Respublicam, da Te Tibi, vt Tuussis, &
non aliorum. Contraria ratio studiorum, languorem co-
gitationum procul arcet : atq; tum se Maiesta e suâ digna-
gerere existimat ; cùm digna Respublica gesserit. Alie-
num ab eo est, quod ad solum referrur, cùm ad omnes per-
tinere debuisset. Publicis utilitatibus omnia metitur, pu-
blicâ gaudet quiete, publicis laboribus se se vegetat, ac re-
creatur. Cœlestis hi mores genij. Cùm tellus sœcunda
seminum parens ; & quicquid tellure proditur, interstitio
laboris, vires restauret : sidera, perpetuo cursu gaudent.
Quanta igitur, in cæteris quoq; VLADISLAI & cœ-
lorum, similitudo ? Quemadmodum pulcherrimum il-
lud solis, lunæ, minorumq; siderum domicilium, secun-
do ter-

do terris impetu, continuò orbem suum obit, vt prouideat; ita VLADISLAVS suum. Nulla parte regni tam latè prouinciae pretenduntur, vt vltra VLADISLAI prouidentiam, progrediantur. Orientem Maiestate, splendore, occidentis Phœbi regiones occupauit: vt quoties ille exoriens Poloniam respiceret; alterius, quām tanti Principis, purpuram primis luminis sui radiis accendi ingemiseret: & quoties hic solem ad tenebras deduceret; Regis nostri nunquam occidentem gloriam miraretur. Nullæ itaq; molitiones hostium, contra Poloniam suscep-
tæ; quin ab hoc sole deprehēderētur: nulla vis, tam occul-
tē parata; quin per eundem innotesceret: nulla industria cogitationum, tanto conscientiæ munita secreto, quin pro-
dita confutaretur. Satis veteres Ægyptij, Regum offi-
cium se expressisse existimauere, si sceptris oculos præfigerent: ne quicquam ad dexteræ contactum inexploratu-
admitterent. Latissimè VLADISLAI refusum lu-
men, non sceptri sed vniuersi imperij, verticem obtinuit:
ne, aut populorum subditorum ditiones sui copiam desi-
derarent; aut erigeret hostilis furor in audaciam palpebras
quin adureretur. Quis credat, minacem armorum san-
guine Christiano perpolitorum, fulgorem, confinia Polo-
niæ perstrictorum non fuisse, nisi cum fulguraret Constan-
tinopoli, moneret VLADISLAVS in Polonia. Quis
ambigat teatas perfido colore alitis iras, longo odio, terra-
rumq; perditarum dolore, in subitum erupturas impetum,
nisi cum fastuoso volatu cogitationum, in altum enitere-
tur; propinquam dispensatrici fatorum sapientiæ, Regis
nostri prouidentiam conspexisset. Deprehensa & in Bal-
tico, emergere vndis monstra, fluctus à littore Polono re-
iectos audiūs haurientia, verūm excitatā regijs monitis,
ciuium præparatione; alio auersa. Parcite igitur sidera!
iniuria à vero sermone, nec inuidiosâ comparatione, sed
verā rerum æmulatione, nulla venit. Habitat intra nos
quædam magna vis, non numinis quidē, illius tamen ho-
minis, cum quo singula vestra, in homines eorumq; sedes
bene.

beneficia , partiri sit necesse . Non perpes ille cœlorum
error , non latens beneficentissimorum influxum libera-
litas , non amicus naturæ solis calor , vestræ magis , quām
V L A D I S L A I debetur benignitati . Si de distis , quod
meteremus : vt meteremus , fecit **V L A D I S L A V S** . Si
promouistis recepta semiña : promota fouit **V L A D I-**
S L A V S . Rependit & agris annuam munificentiam ,
tot annorum procuratâ conseruatâq; fertilitate . Accepit
tellus , quod daret : & beneficio ad beneficium , est prouoca-
ta . Iam verò , vt constantem æternumq; hunc felicitatis
faceret redditum , quantas impendit , cum facultatibus cu-
ras ? cùm vicina hostili furori prouinciarum vrbiūque
latera ; veteribus instauratis , excitatis recentibus murorū
vallorumq; præsidiis , perenni veluti roboris sui complexu
cingeret . Surgunt ingentes propérato opere , ac velut
suâ sponte moles : prodeunt ex imis terrarum visceribus
promptiora tanto imperio , quām Orphæi cantibus , pare-
re saxa : coguntur perfidis famulatæ vestigiis , in fidei tutelâ ,
glebæ . Orator sum , non censor operum : numerum ne-
gligam ; vt me impendam gloriæ . Rapit magnitudine
ac pulchritudine singulari spectaculi , ingens ille furoris
Moschouitici scopulus , immortale gloriæ Tuæ monumen-
tum Smolenscum : cuius annua oppugnatio , cùm multo-
rum supra centum millium , hostilis exercitus impetum , ir-
rito conatu fatigasset ; tandemq; ruinas , machinis subter-
raneis admotis , edidisset ; primùm ipsis ruinis se in hostē
præcipitantibus , pericula nostra pro Te pugnarunt ; tūm
instauratis ruinarum spatiis , spes hostiles , casu illo terræ al-
lisæ , robustissimo surgentium munitionum vestigio , ob-
tritæ sunt . Quod etiam illud æmulo robore consurgens ,
eādem in arce , spectatur victoriarum trophœum ? Agno-
scō **S I G I S M V N D I** Tertij Inuictissimi Parentis Tui
opus , agnosco non tam recordatione facti , quām similitu-
dine gloriæ . Audio etiam à spectantium auiditate , com-
muni famæ voce , quæri ? fortiusne ille , & felicius , arcem
totius Molchouiæ viribus defensam . expugnauerit : an Tu
oppu-

oppugnatam defenderis, expugnaturus; si SIGISMVN-
DVM temporibus præuerisset: ut ille quoq; defensurus;
si pro Te in acie stetisset. Diffiteri tamen nequeo, & Te in
illo, & illum in Te viciisse: vtrumq; simul triumphasse,
vtrumq; simul æternū triumphaturum. Discit gemi-
no, Magni Parentis Magniq; Filij documento, ruditis bar-
baria, nec munitionibus inclusam, nec orbis viribus suc-
cinctam perfidiam, tutam esse: eadem mœnia, quæ pro
perfidia pugnare jussa corruerant, pro fide SIGISMVN-
di immota stetisse: & quæ contra perfidiam, indignatione
sceleris, se se commouerant, ad fidei VLADISLA VI-
ANÆ præsidia, nouo speciosioreq; ambitu, conuenisse.
Amoris hoc pariter Tui, atq; fortitudinis exemplum. Ut
æternū nos tuereris, inexpugnabile gloriæ Tuæ, & ter-
roris vallum, hostibus obiecisti. Moneo etiam atq; eti-
am Barbaros, ne tantūm furori, ne amentiæ, ne sceleri vnu-
quam indulgeant: ut iuratæ pacis sacratissima vincula per-
fringere, bellaq; semper sibi infasta, suscitare audeant.
Quod si vesaniam pro ratione secuti, arma aliquando as-
sumperint: intelligent alium amentiæ euentum, sperari
non posse; quam exitium, aut quæsitam lacrymis, turpiq;
deditio, a VLADISLA O misericordiam. Qualem
Te tunc illi e Smolensensis arcis culmine ridentem vanos
impetus suspicent? quanto in eos post fata horrore, cedē-
te diuinæ vi ipso murorum ambitu, proueheris? quantis
stragibus, fugaces Aquilas, a Tuorum pernicie, ad cæ-
des ac interitum ages? Occurres primus vbique; quem
admodum facere consueueras: immittes obſistentibus a-
cies, augebis pugnantium timorem, sequeris cedentes vi-
ctoriæ stupore: donec non camporum tantūm, verūm a-
eris liberi vſu negato, subterraneis foueis, horridis cognati-
fisq; veterum manum sepulchris, eos concludas. Con-
spexisse recenter fatum suum viſus, Magni Ducis Moscho-
uiæ cum summa legationis autoritate interpres, arcem-
que ſuſpectans, altis gemitibus a posteritate ſua quæſiuiffe:
num aliquando in ſpem tam ingentem affurgere poſſet;
quā

quā arcem completeretur? Desperauit cūm de ipsarum cogitationum dubitaret fiduciā: cūm verò suspiria promeret, fatalibus suæ genti Smolensciani cœli auris afflatus, ne terrore exspiraret, totius Moschouiaz suspirauit anhelitu. Gaudent, & cæteræ arces eadem Tuâ benignitate; alia autem expectant. Tam certa sunt, quæ promittis; vt, promittendo, præstes. Quam verò se munitos, quam felices Tuis auspiciis limites Poloni, qua parte Valachicis insidiis totiusq; orientis furori patebant, latitantur. Deductæ in agros perpetuis barbarorum incursionibus horrentes coloniæ; impositæ, custodiarum fortissimarum finib; cohortes; datum scutum potentissimum Patriæ; manus inuicta bellatorum, vniuersis. Hoc facto, quantum fu- erit præstitum, satis patuit: cūm superbissimum Turcarum Imperatorem, vt de ijs auferendis apud Te supplica- ret, coegit. Non potuit petere; ne timeretur: petijt, quod timeret. Victos formido sequitur, victores spes vr- get. Itum & in alia huius propositi sententiâ, commo- da. Erepta, Scythicæ vastationi furtuarum prædarum licentia, & potestas, liberè regni fines inuadendi: aut cum fallacibus vestigijs irruperint, ad suos integrè reuerten- di. Vident populum frequentem, vicini stimendum vi- ribus: atq; sub iactu militari politi, rapinarum sœuam cu- piditatem, successus desperatione, plectunt. Intuentur pariter agros, fortunatâ opulentia fructuum vberimos: atq; rabiem famis, præsentia vetitæ copiæ, exagitant. Ma- gnicum supplicij genus; improbam auiditatem, oculo- rum confodi telis. Iam quod terræ illæ fertilius cæte- ris regionibus solum alant: nonne eodē Tecum sensu, bar- bariei turpem horrorem, immanes saltus, desertas solitu- dines, exprobrant? vt cūm hinc fæcunditas, inde sterili- tas; hinc amœnitas, inde rigor constiterit; ipso sui habitu, felices VLADISLAO terræ, & squallentes plagæ bar- barorum, dignoscantur. Potuit antehac, cūm neglecta iacerent arua, similitudo naturæ, erroris & audaciæ incur- sionum, præbere materiæ; vt pro suis inuaderentur: nunc

K

quic-

quicquid feliciter viget; **V L A D I S L A I**, tribuere co-
guntur, fortunæ. Post vicina pericula, abundantí prouinc-
ione remota; ad viscera Reipub: Tuâ prouidentiâ conuer-
sa: vniuersaq; Lituania, ac Polonia, ne imbellem pacem
ageret armata. Tot enim excitata, in præcipuis ac pluri-
mis, vtriusq; populi vrbibus, fortissima magnificentis-
simaq; bellicarum machinarum æraria: vt, qui temporum
rationes ignoraret, summâ vi bella geri, meritò credere
posset. Hâc ratione Vilna, hac Leopolis, hac Posnania,
hac Varsavia munita: claro ipsorum operum argumento,
V L A D I S L A I manu, tam inuictis mænibus, tam au-
gustâ specie, tam opulentis armorum omnis generis præsi-
dijs, surrexiste. Actum id aliquando, a Maximis Regi-
bus: vt maiori gloriæ pompâ, in laudem descenderes:
actum minori curâ, & rerum dignitate: vt nullum opus
eximum tam perfectum esset, cui plurimùm non superad-
deres. At num Tuæ capacitatem mentis fugiebat, Polo-
nos, hoc est Tuos, aperto Martis campo gaudere, prom-
pta ferre in pericula pectora, cominus hostium latera ri-
mari, & contumaces spiritus non pellere, sed rapere e cor-
pore. Acies virum probat: vrbes & munimenta imbel-
lium receptacula. Se fert, Ciuis Patriæ in bellum: se
publicæ dat salutis; non scuta, nec æris plumbiuè metalla
liquefacti. Manu pugnatur, sæuitur iaculis atq; ignibus.
Talem Te, nos sæpius admirati sumus: Talem, Mars ipse
stupuit & expauit: cùm inter telorum ac grandinum
plumbeos imbres, solâ virtute Tuâ, & vulnerum profun-
diorum dolore notus, fortunam nostram per acies circum-
ferres, turbares ordines, perrumperes cohortes; tam cer-
tus formidatæ nobis victoriæ, quâm virtutis Tuæ. Non
alias bellandi artes Poloni à maioribus didicerunt: non a-
lias inuicto Tuo exemplo magis docuisti. Permitte Te
Tuos sequi, permitte forti manu, & Tuæ, publicæq; inco-
lumentati deuoto spiritu, viætorias quæri. Vinci non pos-
sumus, quoties Tui imitatione roboris, pugnauerimus.
Rem fateris; animum probas: Ciues tamen seruaturus, pro
nobis

168

nobis elementa in bellum educis. Opponis viros viris,
dextras dexteris, pectora pectoribus: fortuitæ autem mor-
tis, puluereis periculis, Tuæ virtutis artificio imbuta me-
talli fulmina. Si idem orbis, quod Polonæ fiduciæ, vo-
tum eslet; fortioribus prælijs, neq; tam diuturnis euenti-
bus bella gererentur: at nunc, cùm natura rerum, in mu-
tuas cædes armatur: quām prouido consilio munimenta
hæc bellipacisq; instaurantur, comparantur? Fluunt in-
geniosis ducti venis, ad Tui imperij nomen, ærei fontes: fa-
cturi laudum maria, nisi, in solidiorem gloriam, rigore
suo, coalescerent. Resumunt confectam senio bellandi
vim, ingentia tormenta; quorum nonnulla, quanquam
suis conditoribus corpus, Tibi animum debent. Illa ta-
men certiori reliquos hostes petitura videntur iectu: quæ,
recenti ope râ tenebris subterraneis materie erutâ, reliqua
magnitudine ac maiestate superant. Signasti enim me-
tam gloriofis hostium coedibus, ad quam collimarent: &
præmisisti fortunam, quam sequerentur. Eant nunc in-
flati vanissimarum laudum præcones; qui exterorum in-
genium, quām patriam virtutem suspicere malunt: eant,
& desideriorum suorum errores, factorum præceptis in-
struant; docti, non peregrinorum hominum mores, at
V L A D I S L A I imperium, olim patriæ optandum fu-
isse: ut suis votis potirentur, & res bellicæ, Polono ac toti-
us orbis ingenio, quia **V L A D I S L A I** præscriptis gere-
rentur. Hoc Rege, Poloni bello & pace pugnant, bel-
lo & pace vincunt: bello, præsentia; pace aduentantia pe-
ricula. Ecce verò, defesso iam, & sub onere rerum tam
multarum, tam ingentium fatiscenti, longum laudum
nouarum aperitur iter, florentis palmæ fronde, vndiq; suc-
cinctum ac amabile, multitudine inuitantium operum,
terrarumq; ingentibus tractibus insuperabile. Subibo igit-
tur, viribus integris non ferendam fatigationem? Audio
Curlandiam ostentato Principis sui titulo, fœderum Polo-
niæ gloriosorum dignitate, ædiumq; sacrarum, ex pacto-
rum fide imperatarum sanctitate, ad laudes Regis inuitâ-
tem?



tem? at Prussia suam posthaberi felicitatem, se paribus
ornatam meritis quæritur præteriri. Seueria se ad liber-
tatem vindicatam, Podlachia conseruatam, Masouia ex-
ornatam, Lithuania defensam, Polonia propugnatam,
vno encomiorum consensu dici volunt. Nulla Prouincia,
nulla vrbs, nullus locus, vniuerso Regno reperitur, qui
non maximis pulcherrimæ pacis fructibus perfruatur, de-
coretur ornamentis, alatur utilitatibus. Tua sola virtus
est, VLADISLAE Rex, cui, & dissitas munificentia vin-
culis connectere terras, & omnibus benevolentia præse-
tiæ adesse locis, & diuersissimorum populorum necessita-
tes, vno gratia complecti sinu, non est operosum. Supra
Prouinciarum gesta, hoc est Tua merita, nec Liuij volu-
mina, nec Cæsaris commentarij amplius continent. Co-
hibeo itaq; languentem gradum, atq; tanto maiori neces-
sitate id ago, quod me in pulcherrimi pacis gloriose spe-
ctaculi admiratione, constitutum sentiam. Intueri enim
mihi videor augustum illud Tuæ pietatis; augeo vocem
exilitate collapsam, pietatis, munificentia, immortalitati-
s, SIGISMVNDO Tertio Regum ac Parentum felici-
ssimo, in publico comitiorum Regnitheatro, Maiesta-
tis domicilio, Reipublicæ centro, Senatus atq; Equestris
ordinis fronte, Varsauensi campo, ingenti mole, statua i-
psi⁹ SIGISMVNDI gladio atq; cruce munita, fastigioq; co-
lossi insidente, erectum monumentum. Salutate Roma-
nam Ciues fortunam, nec aduenam sed conciuem, quia
vobiscum Regi Vestro obtemperare assuetam. Placue-
runt vestra illi, in parentando Romanæ libertati studia,
nouo igitur se magnificentissimorum operum cōmendat
apparatu. Sic Te omnes cœlites VLADISLAE REX
ament, ut Tu terrarum ornamenti in nos impendis: nihil,
quod ad felicitatem, nihil quod ad splendorem nostrum
pertineat, intermittis: adeoq; cum omnia Principum be-
neficia Tuæ æmulationi non sufficerint; noua bona inue-
nis, quibus nos dites. Stetit attonita saxeo gradu antiqui-
tas, posteaquam e ruderibus se sensit excitatam, & Roma-
nis pro-

nis prostrata fatis, Sarmaticâ surrexit ope. Ne verò dubitaret, an hic Roma olim concidisset, vbi illa surgebat: Te quidem Romano Imperio dignissimum, Romam occasui suo proximam, Te dignam non fuisse, intellexit. Nusquam verò, in tanta celebritate facti, fastus; nusquam ambitionis diuinitatis affectatio; nusquam rapti, in uitis cœlitibus, honores occurunt: Sola in meritissimum Parentē ac Regem, artem iuxta ac molem occupauit pietas. Approbatu*ri tam sanctum virtutis cœli cultum, suæ portionem immortalitatis operi infudisse, non vano creduntur augurio.* Quod si Boleslai Kriwousti ingenio, ad nostra tempora propagata gloria, ob Parentem **VLADISLAVM** pendula è collo effigie gratae cultum; tanto Tu in posteritatem ibis maiori encomio; quanto maiori Boleslao præcellis pietatis exemplo. Ille coluit Parentem, ut morum suorum censorem; Tu ut publicæ patrem felicitatis: ille priuato cultu professus, quid ei deberet; Tu publico testatus honore, ad quantam gratitudinem obligaremur uniuersi: ille, pectori suo, venerabilem appendit iconem, Tu in Reipublicæ corde, æternum fixisti memorie trophæum. Absit Boleslao laudem detrahā: sed meriti Tui expendo dignitatem. Non capit Regnum duos; & quicquid, unus impenditur obsequio, aut honori: alteri detrahitur. Cedit Pietati **VLADISLAVIANÆ** ambitiosæ discordia cupiditatis. Immortalem Parentem dignissimum & Regem se cupiisse, abunde testatus est, honore sibi debito, cum eo, post fata diuiso. Regnare vterq; semper meruisset: sed nos, quantum singulis deberemus, ambiguæ veneratione hæreremus. Agnoscamus parentem in filio, quemadmodum ex aspectu parentis, filij venturam à longè prospectabamus magnitudinem: duos orbis Poloni Soles, perenitura sideris lumina, auctis honoribus, prosequamur, colamus. O Te renatæ lucis fulgore felicem Varsauia! quam, iterum Tuus ille, ille noster Rex, & communis parentis **SIGISMUNDVS** prospectat, iterum incolit, iterum partis diu commodis auget. O Tuos, **SIGISMVN-**

L

DE re-

DE regnum supernorum accola, nostrorum amor, admirabili maiestate venerandos vultus! nunquid non talibus regnum beat Tui simillimus VLADISLAVS? O Tutorum oculorum salutiferos omnibus aspectus! nunquid non his vniuersos excitat VLADISLAVS? O Tui pectoris spirantes adhuc diuini honoris flamas! nunquid non parib⁹ improbos terret VLADISLAVS? Agnosco manus, incolumitatis publicæ vindices: agnosco arma, septies centenis barbarorum formidata millibus: agnosco crucem, Hæresum profligatis triumphantem cohortibus: agnosco autem, expressione Regum maximi VLADISLAI. Rara & tanto Regi pars, virtus; in comparationem summorum Regum, sæcula aduocare. Æquat gloriā, quem amat parentem: & quicquid venerationis débitus subditorum animorum cultus illi detulerit; in censu numerat pietatis. Stabit igitur æternis summorum meritorum fulcris perennandum trophyum; geminatoq; Parentis & Filij Regum robore, temporum ruinas superabit. SIGISMVNDE CASIMIRE; magna, ante n. agnam ætatem VLADISLAI soboles, Poloniæ delicium, & spes augusta. Tuæ hæc monumenta fixa, crede, imitationi. Te ad æqualitatem tanti Aui, Tanti Parentis gloria inuitari. Cresce: & spes nostras, perpetuis meritis, altius continuo attolle. Debebis VLADISLAO, quod ille impendit SIGISMVNDO. Quanquam enim solius pietatis curis, magnificenter tamen facta coluntur encomio; cum probantur, imitatione.

S E R E N I S S I M Æ
L V D O V I C Æ M A R I Æ
In maxima pacis securitate Diadema Regale
capeſſenti.

Vnum eſt

Vnum est,

Quod animos in summa securitate sollicitos habet,

SERENISSIMA REGINA

Ε DOMINA,

Vt nos Imperio Tuo Ε Fortuna nostra dignos, cultu

Et fortuna reuerentiā probemus.

Hac pacificarum mentium pugna, certare, de Te, affe-
ctu: hic timor, inuigilare securę veneratione glorie.

Aduenienti in regnum, animorum portas
reclusimus:

REGINAE,

Animos, in solium erigitus.

Ingressa per pectora ad regnum, ascende ad sceptrum.

Calca corda, non premes.

Substrati meritis plantis affectus, infra pedes iacent,
Et tamen caput adorant.

Non cadit in terram cultus, ad dignitatem inclinatus.

Opulentissimus Polonorum census,

Amoris tributum.

Quantus sit,

Intelligunt Principes, quicunq; opibus abundant,
egent fide.

Cincti Regiis undiq; presidiis, cingimus Reges animis:

Nullo maiori securitatis parte pretio;

Quām

Securo Regum amore.

Superi Te REGINAM & AVGUSTAM!

Quan-

Quantumcunque beneficentissimo Regi penderimus :
nunquam tantum

omnes, quantum solus omnibus impendimus.

Aucta merendi felicitas, obsequendi cumulato debito.

Nec seigniores careeris ad imperia adsumus,

Quia Liberi,

Gaudemus de proprio censeri liberales.

Retinuimus, quod non de stipe fortuna Principibus
sacrum offerremus.

Ea semper habita Regum, apud Polonos, maiestas;
Vi eadem secundum Deum mente, Principes suos
colerent:

Integram, & Libram.

Asume nobile Regalis diadematis aurum:

Hoc, nostram in VLADISLAO securitatem
coronauimus;

In Te, reponimus.

Ab auro, aurea menti Tua, pretium non querimus,

Sed, ab aurea mente, auro.

Coronantur autem & ferro Reges, cum ferreis curis.

Aurea pacis, germanum decus, aurum.

Post demersum, hostili cruore a VLADISLAO
ferrum;

Nihil usquam seuerum appareat.

Imperabis,

Fortuna, Paci, securitati nostra.

Parebimus; votis, animis, amoribus publicis.

SERE-

SERENITAS PACIS

SCENDE jam ascende, immensum laudū
 theatrum VLADISLAE Rex, & orbem
ATUUM vultu, Christianum atq; vniuersum
 diffuso cum sole splēdore diu serena. Nul-
 lus sit barbarus Rex, qui Tuam potentiam
 non expauefcat: nullus amicus, qui Tuis victorijs non gra-
 tuletur, Tuæ fortunæ admirabilem cum successibus con-
 stantiam, non admiretur. Mensuram desiderijs impe-
 rantium fixisti; vt ad Tuæ prosperitatis culmen enixi, ma-
 ximi haberentur. Hominem Te non diffitemur, & Tu
 intelligis; ideoq; maximus, & optimus, quia intelligis:
 humanistamen fatis altius euectus, sortium humanarum
 inconstantia, & vicissitudini fortunæ, imperas. Rex es
 hominum; & fatorum, esse videris. Bella gessisti maxi-
 ma, periculis minimis: pacem colis diuturnam, virtutib;,
 fortunatam, augustissimis. Cūm ferrum manu tracta-
 res, continuas numerabas victorias: cūm palmas suscepisti,
 perpetuos victoriarum parturis fructus. Si itaq; Themis-
 tjo, vna nauis imperatoris sui, quā foedus cum barbaris
 percussum reuexit, classe Xerxis, quā ille cum exercitu
 immenso traiecit Helespontum, ad laudem atq; gloriam
 ampliorvisa, & oneraria illā, quæ pacem importauit, pon-
 te, qui bellum transmisit, augustior iudicata; quantum &
 quām augustum, necesse est orbi exhibeat vniuerso, Polo-
 nia spectaculum, altissimā pace Tuā vndequaq; circum-
 fusa. At nos nihil nobis, nihil nostræ fortunæ tribui; dum
 Tibi, per quem habemus vt requiramur, tribuatur; opra-
 mus. Vnus es, quem vniuersi respicimus; unus, qui o-
 mnem dignitatis pacificæ sustentas maiestatem. Neque
 verò Te, dum pacem condères, exiguae cimbā totius Rei-
 publicæ fortunam vectantem vidimus; sed vastissimis cā-
 pis, suppliciumq; ante clementiam Tuam, prostratorum
 corporibus contextis, explicantem: neque bellorum peri-

M

cula,

cula , oblatis redimentem conditionibus ; sed pugnæ audi-
dum , Martisq; succensum calore , benignitatem ad par-
cendum flectentem . Augustior tamen spectaris in solio ,
quām visus sis , in illo victoriarum theatro . Tunc auda-
cia hostium , nunc fatorum ; tum calamitas miserorum ,
nunc stupor fortunæ ; tum fracta armorum ærumnis hu-
mana conditio , nunc elata maximis Europæ afflictæ rui-
nis periculorum vastitas , ante Te adsternitur . Non video
acies barbarorum instructas ; sed specto , arma crudâ diffi-
dentiâ condita : non adsum pugnantium latè sparsis cædi-
bus ; sed intueor pauentium trepidos timores : non audio
graues morientium planctus , & extremis non ferio suspi-
riis ; sed oblector recensentium , ad posteritatis honorem .
Tuam virtutem numero hostium . Cùm ad Tuas respi-
ceremus victorias ; incerto bellorum in diuersa rapieba-
mur exitu : cùm pacem cogitamus ; in Te solo attoniti hæ-
remus . Manu , in bellis gessisti fortunam ; nunc sinu cō-
plecteris . Victoriarum spe antea gaudebamus ; nunc ali-
mur commodis : quantumq; gaudere antequam euenisset
debuissim⁹ ; gaudēdo discim⁹ : & vt magis gaudeam⁹ con-
suetudine gaudia roboramus . Vnde vero hæc tāta in maxi-
mis bellorū tempestatib⁹ quies ? vnde tam illustris in sumo
rerum turbine serenitas ? Serenum est cœlum , cùm terris
fauet , & fauet , cùm serenum est . Nulla tamen tam bea-
tarum terrarum narrantur vocabula , quæ perennem me-
rita serenitatem , nec cœlorum æstibus , nec rigoribus fri-
goris , nec imbrium inundatione , aut niuum magnitudi-
ne diuexentur . Hæreo itaq; ambiguus , & nomen fœlici-
tati , nisi ad Te animum conuertam , VLADISLAE Rex ,
non inuenio . Gesturus nimirum è dignitate Polonum im-
perium , cœlestium P rincipum animos , Tuis regnis , so-
ciali fœdere addixisti ; vt cùm Tu digna talibus socijs ges-
sisses , illi paria dignissimo socio , ac Imperatori repende-
rent : nos maximis vestræ benevolentiaæ vtilitatibus gaude-
remus . Patent partium studia , patent sancita fœdera ,
patet seruata ab vtrisq; fides . Intellexeras enim diuturna
eorum

eorum conluetudine, solâ sinceritate & candore cultus, tam beatæ amicitiæ jura constare; illâ, bellorum præsidia, illâ, tutelam Rerum publicarum, illâ perpetuæ pacis comparari felicitatem, intellexeras: & mox regnum adeptus, non modo animi promptitudinem, nullis vñquam labefactatam temporibus, maiori pietate obstrinxisti: verum ut Rex Regio more amicitiam coleres, eosdem perpetuis in terris delatis honoribus, sacrisq; trophæis erectis munerasti. Num verò illi, promissa subtraxere vñquam socialis conuentionis præsidia? Testor Tuam sacram dexteram, testor collata inuicem consilia, testor victorias prognatas victorijs, quoties præsens Tibi Diuinum Numen adstiterit, Tuum vibrarit mucronem, auxerit prouentu virium exercitus, muniuerit protectionis ambitu securitatem. Huius Societatis fructum profitemur, quod vitâ, quod incolumente, quod eâ, quam loquor, Pacis serenitate, priuatâ, publicâ, & quod caput rei est, Tuâ, quâ minor turba viuimus, donaremur: huic acceptum referimus, quod ruinas quasi sati vndiq; orbis, gemitus Provinciarum, cadauera regnum, non sensissemus. Oraculo Diuini pectoris Tui, & rerum, verba firmo argumentis. Nonne Tuæ confessio-
nis encomio, in amplissimo omnium ordinum conuentu, magno Tuæ mentis domicilio, Sacramentum fidei superis datæ enunciasti? nonne ex pactorum edicto, Sacro Camalduensium Religiosorum cætui, Regias posses-
siones attribuisti. Tenemus tabulas, versamus, & ex-
pressum in vocis imagine mentis veneraturi simulacrum, saepius animis libamus. A tempore, inquis, quo li-
bera utriusq; gentis electione in hoc sublimi Regalis solij
confedimus fastigio, nihil nobis antiquius fuit Diuina
gloria propagatione. O Caput dignum diu coro-
nari: ô diadema diuinorum curarum eximia sedes! Prima
cura Tua, res numinis sunt? igitur prima numinis, Tuæ.
Non possunt cœlites beneficentia superari. A tempore ve-
rò quo fastigium Regale ascendisti, hæc à Te studia suscep-
ta? At nos ante conspeximus: & hæc ipsa, coronauimus.

An Tu

An Tu Rex eras priusquam dicereris? Hoc pietas affirmat; quandoquidē simul cum eā purpurā induisti. Quid deinde? *Sacramentum itaque cœlitibus diximus.* Regem Poloni agnoscamus; DEO addixit imperium, aut subiecit, ut augeret. Noluit solus imperare; vt pluries prodeisset. *Sacramentum diximus?* Credidissent Tuis nutibus Cœlites, non iuramentis. Pietas exuberavit, non fides requisita. Cur autem Tuum profers, retices sociale? Obligari vis et si non obliges? Hic mos & Superis. Similitudo actionum amicitiae robur. *Sacramētū diximus debite pro imperij collati atq; victoriarū beneficio gratitudinis* En sacrae mentis arcana reclusa. Quam fortunata nostra vota, & felicia suffragia! Quem nos Regem dicebamus, salutabant Superi. Debes igitur eis electionem? imo Tu is meritis. Quem ex omnibus dignorem elegissent? Debes tamen, quia vis. Ardua in Principe virtus, credere se obligatum. Victorias pariter ad eosdem refers? Hoc ego asserui; hoc vniuersi suspicabamur: cum præuentibus socialibus copijs Tibi vni conspicuis, tanto cursu ad regni limites exercitus Tuos raperes: tanquam nullo corporeæ molli pondere fessos spiritus sequereris. Sed iam audiuius, quid Tu cœlitibus debeas: audi, quid illi Tibi. Amant hoc dici, & humanis debere obsequia meritis, lucrum ducunt. Quanta igitur in primis illa Tuæ benignitatis in eos profusio, quâ sacrum triumphum Diuo jndigeti & consanguineo Principi. **C A S I M I R O**, innocentes Beati corporis exuuias, in solidi marmoris magnificentissimum translaturus mausolæum, instruxisti? Tenuit stupefactos verè cœlici apparatus gloria, omnium oculos; maiorem admirationis partem, Regia maiestas facta Diuifetreti assecla, sibi vendicauit. Nunquam Tu ita conspiceris, vt tota aspectus magnitudine subeas: insolita tamen altissimæ dignitatis augustior visus specie, triumphū regij iuuenis, Rex & Triumphator comitatus. Non miscuit populo Regem pietas; sed monstrauit. Nusquam enim sublimior Principum spectatur maiestas, quam ad publicæ sanctitatis inclata.

174

clinata exemplum. Magnus censeri recte non potest: cuius magnitudine vnius Palatij angustijs inclusa, quæri etiam solet, num sit? magnus ille censendus Princeps: cuius maiestas ad omnes pertingit, & vbiq; præsens conspicitur. Tanto etiam magis Tuum hunc mirabamur animū, quod ut honoribus cœlitum indulgeres, Tuæ valetudinis affectæ detraheres commoditatem necessitati. Negantibus suum officium pedibus, ministrorum manus generoso addixisti obsequio. Incedebas igitur cum portareris, non pedibus sed affectu. Legimus vestigia, non plantarum, sed virtutum; piæ demissionis, demissæ pietatis. Hoc calle, ad cœlum itur: his incessibus, non subsidet calcata æris mollities, sed subsilit. Venit tum plurimis in mentem, antiquissimorum monumentorum commendatione ornata narratio, Ioannem Constantinopolitanum Imperatore deuictis Saracenis, triumphum à ciuibus præparatum ad Reginæ cœlorum venerationem conuertisse, eiusq; sacros vultus imagine expressos, ipso Imperatore candidos deducente equos, curru triumphali per urbem vexisse. Ofatum solaribus rædijs scribendum! ô facti expressam similitudinem, luce pingendam meridiana! Numquid non Tuis recentibus è Moschouia victoriis immensi decernebantur triumphi? num non Tu Reipublicæ totius vocibus è sublimi triumphalis gloriae vertice spectandus exhibebaris? Optauimus Romanam videre pompam, vidimus cœlestem. Optauimus Moschouitica spectare spolia, vidimus diuina arma. Optauimus captiuos cernere barbaros, vidimus catenatas vitiorum cohortes. Pro auro ex hostibus capto, Regiæ opes à iuuene Diuo calcatæ; pro castorum deditorum simulacris, orbis prostratus fastus exhibitus. Auxisti votorum felicitatem beatæ scenæ mutatione, cum solus, absq; collega Regio, triuphare recusares.

VLADISLAI Regis triumphales vultus, victoria arma, clypeos, hastas, lauros spectare desiderauimus: **CASI-MIRI** Principis Diui, immortalis splendor, cœlestes purpuræ, lilia, palmæ, auctuario prosperitatis accesserunt.

N

Ne lati-

Ne lætitia distraheremur ; IAGELLONIVS, idemque sanguis, utrobiq; emicabat. Præibat ille ingenti vetus pompa ; Tu proximus sequebaris: quia vos quidem ô Magni & Pij Principes ad cœlestium mentium conuersionem dirimini ; nos ad Vestram conuertimur imitatione: inter vos & illos, sola mortalitas intercedit ; nos vilitate quoq; nostra separamur. Altius eminet, Tuus idem animus, DEI M ATRIS V R G I N I S cultui, admirabili pietate deuotus, quâ , quicquid augustum ac ingens Polonia colit, totum id, ad eius venerationem prosternis; Equestris ordinis dignitatem, authoritatem Senatus, Regiam maiestatem. Tandem purpurata gaudet publico augusta Reginæ Cœlorum Religio. Tandem Rege VLADISLAO, REGINAM se esse P O L O N I A R V M (placito olim gloriæ suæ titulo) luculentius probat maxima post D E V M M A R I Æ maiestas. Num aliud verius asseram? cum erectâ sacrâ Immaculatæ eius Conceptionis aulâ, Te cum vniuerso Senatu diuis Dominæ & Reginæ honoribus studentem intueor. Vbi Regi & Senatui, M A R I A præsidet; Regis & Senatus, Regniq;, Regina est. Quæ hæc nostra sors? Miscetur maiestas terrarum supernæ, geminatisq; honorum titulis, iudem M A R I Æ & Poloniæ P rincipes, audiunt. Odi erum illarum quæ illi consecras decus, Tuæ & nostræ felicitatis VLADISLAE REX auspicem! ô solis reducis ortum, quem eius gloria illustras, Tuæ pietatis clarissimam facem! ô horarum illarum momenta, quæ inter supplicationes sacras, V I R G I N I M A T R I transmittis, ingentia Tui in eam affectus pignora. Non vsita hæc Principum laudibus præconia: at magna; at cœlestia. Heu ignominiosam sæculorum nostrorum labem! Eò demum amentiæ nonnullorum iudicia prouecta, vt pietatem cum Principis dignitate non posse conuenire iudicent: D E V M que ab operibus & laudibus humanis, excludant. Tandem cum placuere vitia, virtus sceleris accusata, improbis iudiciis per nefas plectitur. Gloriosius

exhi-

475

exhibet spectaculum, Imperator ante aras supplex; quam
calcaris terrarum imperijs effultus. Prostrata ad numi-
nis cultū maiestas, Deū humanæ magnitudini superaddit.
Licet, licet curis Principum diuinās adiungere; adeo q; qui
res publicas sine Deo curat, nullas curat. Quantūm pi-
etas Regum ac populorū, tantūm & Republicæ crescent,
deficiente illā, hæ viribus & felicitate linquuntur. Eiusdem
argumenti grandior materies, Episcopatus Smolensensis
in Seueria ordinatus, amplisq; redditibus & Senatoriā Epi-
scopi exornatus dignitate. Dicerem Te stipendia Tuis
commilitonibus, terrarum deuictarum partitione soluisse:
nisi maximus in Republica honor, stipendiarij nomen re-
pudiaret. Est tamen re uera, stipendum virtutis, omnis
dignitas; quod et si virtus non exigit, exigitur ab ipso. In-
terest & cœlorum, Polonus vicisse: quorum ornantur præ
miis, spoliis ditantur. Felices terras, quæ ad Tuos acci-
derunt pedes; vt ad Dei gloriosem cultum erigerentur:
Tua suscepervnt vestigia, vr pietate fæcundarentur: Tuo
accessere imperio; vt a seruitute dura animorum longissi-
mè absalent. Mutasti insolitā industriā victoriarum na-
turam, miseramq; vīctorum conditionem prouinciarum,
ea felicitate besti, qua vīctores gauderent. Gratulantur
iam illæ sibi ac se inuicem respiciunt, tanto maiori plausu
maioribusq; pro Te susceptis votis, quantò plus in animos
possunt conspecta suorum malorum in vicinis Moschouiae
campis, quam cogitata pericula. Gaudet pariter grati-
æmulatione cultus lætum Nouogrodecum, cōtra affines er-
rores Societatis I E S V virorum excubiis armatū, quæ qui-
dem Religiosi cætus cohors, quanta quanta est, Tibi sacra
est. Tulerit enim illa sæculari patientiæ constantiâ, de-
cumanos aduersorum temporum fluctus, integrum virtu-
tis infraetæ, innocentisq; roboris famam, Tuo beneficio
subnixa, vltra sæculum protulit, proferretq; supra omnem
ætatem. Post superatam njmirum centenariam æui lassitu-
dinem, antiquis studiis, laboribus, viribus viuida; in vrbis
capitolio, orbis auribus, Tuæ approbatione laudis audit.

Quid

Quid verò Tibi, pro hac immensa iudicij precentur dignitate? Perennitatem? Etiam vota præuertisti, cùm illam ocupares. Posteritatj memoriam? obliuisci eius non poterunt, quem in perenni gratiâ, semper præsentem intuebuntur. semper venerabuntur. Verum conuerte animum Tuum REX PISSIME à Diuis ornandis, ad eos tutandos: præbe socialem inuocantibus fidem, porrige opē. Discant improbi Magnum Cœlorum Vindicem VLADI SLAVM, & contra Te bella suscipi, quæ contra superos geruntur intelligent. Ecce enim nouum ab inferis erumpit monstrum: ut germanam Plutonis agnoscas problem, Principem Beatorum Spirituum Michaelem, olim stygij exercitus victorem, resumptis ab inferis viribus summoscelere & furore petit. Peractum bellum est, si cœlestis hic Hercules, arma corripiat: verum suum ille in Te retulit præsidium; ut Tu ipse militaret. Huccine demū nefandum Iconoclastarum Caluinisticorum regnante VLADISLAO procedere ausum scelus? ut non centimani sed centies scelerati Briarei, contra Diuos impias armarent manus, peterent cœlos, immortales spiritus cœuersa in eorum sacras effigies rabie, si vires improbitati sufficerent, enecarent? Nondum vos, tot locis, quot constitistis, tot vrribus, quot accessistis, effusus satiauit sanguis? Nondum suffecit violatus, tot non hominum, sed virorum, nec virorum, sed martyrum honor? Quo me rapis dolor? scelus hoc memorari sine labis contagione non potest. Expiandum est publica confessione: deinde tota Polonia in tanta causa tribunal aget: tum verò meritas pœnas luet. Inuocari in tanto crimine VLADISLAI pietas diu non debet. Coniuncta est Dei & Regis læsa maiestas. Vindicabit! nullaq; potentissimorum in Republica Principum se sinet à iustissimis pœnis deduci intercessione. Sortita res, quem omnes boni optabant effectum: Hydraque capitum minor, publico decreto facta; euentu quidem, ex mœnibus; detestatione omnium, ex vrbe & orbe eiecta. Quis pestem Caluinistarum non fugiat? cùm corpus sectæ

grau-

146

graueolens, synagogæq; pestilentis cadauer, extra homi-
num consortium proiectum videret. Quis Tuas curas
VLADISLAE REX Tuaq; studia non veneretur?
cùm per Te exitio grauissimo sedem Lituaniæ liberatam
cogitauerit. At Hæresis vix iam spirans, & ciuitatis ele-
Etamentis infossa, frendet tamen & vnde exciderit, cum
dolore respicit: ut non memoriâ tantùm, verùm etiam
continuo sensu suppliciorum, quoties in delubrum, op-
inionum improbarum sceleratam sedem, turri præcipitata
ad profanarū ædium ordinē redactum vultū retorserit, tor-
queatur. Quod si lenimentum aliquod doloris, crimi-
num adfert societas; habet Arianos, Rakouiensis procellæ
turbines, paribus nefandissimorum scelerum probris, san-
ctissimarum pœnarum tormentis æquatos: hos adeat, &
pari insaniâ in dispari Religionis cultu se exercitatam læ-
tetur. Miranda diuersissimarum sectarum concordia:
quod altera in credendi dogmatibus laudat, altera fugit:
vtraq; in scelera antiquissimorum sæculorum exprobrati-
one damnata, pari consensu ruit. Damnant hesterni ve-
spertilioes, veteres tenebrarum incolas, & mox luce ve-
luti quadam, ijsdem tenebris affusi, ad eos conuolant. Si-
mul probitas improbitasq;, pietas & scelus consistere vi-
dentur: ut quos, impios Numinis Ter vnius hostes, exe-
crantur; ab ijs eiusdem Numinis reuerentiam discant. Sed
cur eos sceleris arguo, quorum nullum scelus produco.
Horrendum, ingens, infame portentum, lucem fugit: ne
sol renouata in seruatorem humani generis è cruce pendé-
tis vulnerum ac blasphemiarum crudelitate, caliget. Cali-
gasset fortassis, nisi **VLADISLAVS** ab aspectu tam imma-
nis prodigiij marentem, ad pœnarum spectandam læti-
tiam auertisset. I crudelissima rabies Gigantum, nec bella
cœlitibus moue. Tollere caput, non potes; nisi, ut in-
tereas. Quamuis Pellion iungas Ossæ; Ioue veteri, opus
non erit, cùm **VLADISLAVS** cœlos tuetur. Tractas
alta vulnera & stupes, viuis & prostratam Te sentis: post-
eaquam Principibus latrocinij, pœnâ profligatis, capite &

O

mente

mente, hoc est literarum tractandarum plecteris libertate. Bonæ artes! in quæ vos sermonem attolleris encomia? ignominiosa improborum crudelitate ad libertatem veræ religionis tutandam vindicatæ. Hoc principium dicendi, nullo exitu dictionis; hæ gratiæ, nullo gratiarum modo terminari debent: si sensus, si vigor, si cognata vobis gratitudo inest. Parensum tamen necessitati, & nouo ortu ad sui spectaculum gloriæ inuitanti. Satis jam nimiumque ad Principis Pijssimi occupandam laudem, satis ad immortalem famæ obtainendam arcem collatum videbatur: cum ecce i nusitatum, & ingentibus populorum studijs, regnorum votis, posteritatis gratijs comitatum edicitur facinus; quo libertate Polonâ illæsfâ, licentia conscientiarû frænaretur; & ad germanæ matris ECCLESIAE ROMANÆ gremium, transfugæ exules, contumacesq; filij reuocarentur. Lux quædam noua oriri cœlis visa, mœnia ac muri sistendi se cupidine subsilire, oppida, ciuitates, vrbes gaudio cōmoueri. Rediuuum alij mirari Constantiū, victricibus castrorum signis adoratæ crucis labarū substituentem. Austriacum alij Caroli Quinti in superos suspicere animum forrunatissimorum triumphorum vires ad eorum decus propagandum conuertentem. VLADISLAVM cæteri propinquiori nominis omne consalutare Iagellonem, Lithuania ad Christianos ritus excolentem. Reges in uno Rege, regnaq; in uno Rege surgere conspecta. Vicisti VLADISLAE spes omnium & vota vicisti. Maxima spondes, maiora præstas: quæ petim⁹ confers; quæ optare non audemus, superaddis. Nusquam verius licuit proclamare. Pax

Pax sola triumphis

Innumeris potior.

Pax Regis fortunatissimi fortunâ suâ fortunatior, pax Imperatoris inuestissimis victoriis augustior. Vicimus Poloni, plaudunt cœli. Vicit VLADISLAVS; triumphat Christus. Patuerunt clauso Iano cœlorum fores; & deuictis prouinciis, pugnatur contra vitia. Dulcedine pacis ex-

cis externæ capti, ad animorum concordiam vocantur ci-
ues : sine quâ nullæ firmæ durauere ciuitates. Miratur
deuocatus sedibus supernis, nouitatem opinionum,
Miecislaus: stupent nunquam suis temporibus conspecta
prodigia Bolcslai: horrent, repulsa à se, irrupisse in Polo-
niam monstra VLADISLAI; mox ad Regis nostri cœli-
cas curas conuersi, illum ambient, illum circumfistunt,
illum solij sui & animi germanum hæredem, illum glorio-
fissimæ perennitatis socium vniuersis spectandum osten-
tant. Suspiciamus, amemus, miremur vniuersi. Quis scit
an aliquando remigratura sint verè Polona tempora: qui
bus, libertas nobilitatis decus, non peccandi munimentū
audiebat; sed vniuersis ordinem de Deo sentiendi, eadem
eum colendi lex seruabatur. Ær umnosissima scrutus sce-
lerum, libertas Polona censerī non potest. Peregrina est,
aduentitia est, nec cultus nec mores parentum nouit. Bene
itaq; ac sapienter is conuentui locus dictus, cuius vniuer-
sum pene corpus contagio dissentendi à Romano capite
affecit: vt vbi plurimū inualuit, vires morbus perdat;
faciliiori cæterarum partium curatione subsecuturā. Ad-
missi externarum Academiarum Doctores: vt omni im-
becillitatis excusatione sublatā, fortius ruerent errores,
sensusq; veritatis ad plures pertingeret. Quantumcunq;
improba dogmatum peruersitas gradum defendat: ruinā
aut totā mole, aut parte non euadet. Ut moles malè radi-
catæ ventorumq; expositæ opportunitati, perpetuis insta-
biles agitantur motibus, donec mora præcipitur: ita no-
uarum doctrinarum inconstantia nunquam sibi constat;
& quanquam contumax rationibus opponat sentiendi pro-
positum, sensim tamen in se respicere incipit, quodq; ante
malè laudauerat, bene damnare. Non solis gratulabi-
mur Granadilli prærogatiuam concessam Indijs; vt necta-
tur apice in spineas coronas, acuatur in clavos, aptetur
in hastas, flectatur in flagella; cùm paribus succrescit me-
ritis, VLADISLAI laurus, suo caput coelicum coro-
natura complexu, & gloriosa dolorum olim, nunc salutis
huma-

næ instrumenta, ad orbis venerationem, in Regalis maiestate verticis expositura. Vigebit, barbaro natum cruce, triumphalis frontis decus, sanguine Diuino; pietatis rigabitur rore; æternâ fœquebitur tutelâ. Fælicitatem igitur tuam nemo intelligit, qui ex communibus successibus lætitiae modum sumit. Dierum etiam fortunatissimorum præsentem invoco fælicitatem! augustas tædas, & nouam rerum faciem. In quantas rursus spes, in quanta gaudia **V L A D I S L A V S & L V D O V I C A** Augutissimi Sponsi & Reges mentem impellunt! Si fælices vñquam sumus; nunc esse incipimus: si beati, nunc beamur. Non sufficit peccatum inundanti lætitiae, nec votis gratulatio. Accedant inclita Galliarum Italiæq; regna, Mantuanus ac Niuerniensis Principatus: & quam cum Ludouicæ Ducali Regioq; sanguine, regno infuderunt; nobiscum diuidat lætitiae inundationem. Quàm meritò sol erubuisse censendus, posteaquā tot simul purpuræ, in **V L A D I S L A O & L V D O V I C A**, Principum, Regum, Imperatorum, coniunctas æterno connubij fœdere consperxit? Quàm latè etiam publica commoda dimanarunt, cum Augustis vinculis, ingentes Prouinciae, Ducatus, Imperia in amicitiæ societatem colligata? Admoneo fortunam, quanquā satis hactenus munificam. Errat, si tanta prosperitatis munera Poloniæ deinceps parat: quanta interea percepiimus. Quidquid virtutibus maximis vñquam impensum, Principibus nostris debetur: quidquid dignitati summæ collatum; iure exigitur. Hæc posteaquam omnia contulerit; quod supremum est à vobis Cœlites petimus: vt **V L A D I S L A V M & L V D O V I C A M** diu incolumes, diu posteritatis aspectu, & transmissis ad hæredes purpuris beatos, nobis donetis. Non moueat virtus matura cœlo inuidiam, nec immortalium gloria operū mortalitati eripiatur. **V I V E**, & de vita nostra Tuis adjice annis **V L A D I S L A E T E R R O R B A R B A R O R V M**. Hunc Tibi titulum, æternum victoriarum marmor scribit. Pugnasti semel, vincis semper. Fractos armis, edomas pauore, ful-

re fulmen eras; dum in hostes rueres, dum fulminea tela
celeritate æmulareris, dum orbis collectivires impetu gran-
di frangeres. Fulmen es, sed innocuum; dum hostes for-
titudine prostratos, terres non lædis. **VLADISLAI**
REGNVM, FULMINVM DOMVS. VIVE VLADI-
S LAE HORTVS REGALIVM VIRTUTVM. Has Tibi
laudes laurus perpetuo virens, fronte præfigit. Post vi ctos
hostes, Te vicisti. Ne fortuna, quod egeras, exigeret: bel-
lis famulatam, in obsequium virtutis addixisti. Quo tem-
pore, Principes otij domicilia repetunt; virtutis accessisti
ædes: in bello fortiter gestis; domi sanctè; utrobiq; glo-
riosè conspicuus. **REGNVM VLADISLAI GY-**
MNASIVM PRINCIPVM. VIVE VLADISLAE CI-
VIVM SERVATOR BENIGNISSIME. Hoc Tuum en-
comium pectoribus nostris sculpimus. Tuum est, quod
viuimus. Ut nos protegeres; Te in pericula dedisti: ut ser-
uares; Tuarum curarum fouisti gremio. Plus Tibi debe-
mus, quam vitam: quia, tot vitas singuli, quot viuimus
vniuersi. In uno omnes, in omnibus singulos conseruasti.
Tibi viuimus quia Tunobis; Tibi seruamur, quia Tunos
seruas. **VLADISLAI REGNVM GRATITUDINIS DO-**
MICILIVM. VIVE VLADISLAE AMOR COE-
LITVM. Hoc de Te sentire vota cœlitum jubent. Gladio,
Crucis triūphos paras: pace, decora auges. Per vulnera cor-
porū hostiliū, salutē animorū ciuiliū quæsiuisti: ibi contra
superstitiosā perfidiā, hīc cōtra superstitionē Imperator pie-
tate. **VLADISLAI REGNVM ARX RELIGIONIS.** Viue VLA-
DISLAE EVROPEORVM PRINCIPVM GLORIA, & RO-
BVR. Orbis Christiani flamas, barbarorum restinxisti
cruore, orbis Christiani vulnera, scuto protexisti Polono.
Docuisti unus, & totus Princeps Catholicus: quid possint
Principes omnes, si toti Catholicī. Æquitatem bellorum
secutus, regnorum exuisti cupiditatem: armatus, quam
diu causæ susceptorum armorum ante Te starent: mitis,
posteaquam irarum impetus absq; iustitiæ consortio in

P

campum

campum prouocauit. REGNUM VLADISLAI MVRVS ORBIS CHRISTIANI. Viue & Tu Augusta Regis tanti Consors LUDOVICA MARIA, Viue REGINA & DOMINA CLEMENTISSIMA, Viue terrarum lili- um, Cœlorum Rosa, ingens Poloniæ spes, & augustum fortunæ incrementum.



KISIA